

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

QUAE JUDICIA DE LITTERIS FECERINT

PROVINCIALES

QUAE JUDICIA DE LITTERIS FECERINT

PROVINCIALES

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Paul Henri Auguste

P. ANDRAUD

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PARIS (2e)

LIBRAIRIE ÉMILE BOUILLON, ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67, AU 1er

1902

QUIBUS NOTIS OPERA SAEPIUS ALLEGATA BREVITER DESIGNENTUR

M. G. : C. A. F. Mahn : *Die Gedichte der Troubadours*. Berlin, 1856-73.

M. W. : C. A. F. Mahn : *Die Werke der Troubadours*. Berlin, 1846-53.

P. O. : *Parnasse Occitanien* (de Rochegude). Toulouse, 1819.

Hist. Lang. : *Histoire générale de Languedoc*, par D. Devic et D. Vaissete, éd. Privat, Toulouse, 1872-92.

—

N. B. Lyricorum codices eis litteris designantur quibus Carolus *Bartsch* usus est in opere quod inscribitur : *Grundriss zur Geschichte der provenzalischen Literatur*, Elberfeld, 1872. V. p. 27-31.

PROŒMIUM

Nihil majorem utilitatem praebet ad veterum nostrorum scriptorum ingenia recte perspicienda, quam iis judiciis uti quae ipsi de suismet operibus, tum cum haec edebantur, fecerunt. Non quin recentiores existimatores, doctrinam et rationis acumen illis operibus adhibentes, quam artem haec significent cujusve sint pretii judicare possint ; sed id est periculum ne sententiam quasi curtam tantum ferre valeant, nisi eorum opinione nituntur qui, certioribus indiciis ducti, cum aut de aequalium aut de suo ipsorum ingenio existimarent, praeteritorum temporum litteras, non majore quidem animi aequitate, sed facilius scrutati sunt.

Horum enim auctoritatis eo major ratio est habenda quod veterum scriptorum animos minore labore introspicere potuerunt ; adde quod illi permulta opera, quae nunc desiderantur, nota habuerunt quibus sua judicia probarent. Caveat autem in primis ne hanc rem neglegat is qui in Australis Galliae scriptorum studium incumbere velit. Nam, cum

magna pars Provincialium operum exciderit, eo accuratius decet nos quid de suis litteris ipsi Provinciales senserint, vel minimis auctoribus juvantibus, inquirere.

Non ideo tantum locos ad litteras spectantes in Provincialium operibus recognoscimus quo de nonnullorum scriptorum fama et virtutibus certiores fiamus ; verum etiam num quid de scribendi arte generaliter disseruerint Australes quaerere propositum est. Quanquam autem multa ab his ad praecepta danda scripta sunt, pauca proprie ad litteras pertinent. Non equidem desunt libri in quibus de rebus variis disputationes reperias, sed raro de optimarum artium studiis vel de honesta doctrina aliquid artificio et via Australes tradiderunt. Pleraque enim opera sunt de grammatica aut de re metrica, dum quomodo scriptores lingua emendata uti aut versus secundum probatam disciplinam condere possint Provinciales edisserere conantur.

Non tamen omnino ea quae de litterarum vi sentiebant praetermiserunt Provinciales. Quin imo res maximi ponderis nonnunquam, cum proprias operum suorum virtutes describerent, praestrinxerunt. Nec mirum : etenim tam mature quasdam litterarum partes summa arte tractare valuerunt ut de iis mox apte concluseve dicere possent. Nam, etsi iis quibus natura inest carminum condendorum copia non ideo semper vis judicandi datur, tamen Provinciales, propterea quod in principio jam artis argutias magni

fecerunt, magis idonei fuerunt qui de scriptis suis dissererent.

Jam nunc intellegi potest cur a Provincialibus nihil judicandi aut docendi causa scriptum sit quod non ad lyricorum poetarum opera pertineat, cum per haec potissimum tantam laudem sint consecuti.

In priore hujus commentationis parte ea scripta percensebimus in quibus, quanquam non proprie ad litterarum disciplinam aut ad scriptorum aestimationem spectant, nonnulla tamen judicia praeceptave digna quae memorentur reperiri possunt. Altera autem pars erit de ejusmodi operibus quae vel de litteris aliquid praecipiant vel quosdam scriptores judicent, cum docendi potius quam delectandi causa condita sint. Ita ex utrisque id compertum habebimus, quatenus Provinciales judicandi facultate praediti fuerint : quam rem dum inquiremus, jamdiu notorum quidem operum mentio fiet : sed de his nondum eo potissimum consilio scriptum est ab iis qui se ad Australium litterarum studium contulerunt.

PARS PRIOR

DE EIS OPERIBUS IN QUIBUS, ETSI NON PRAECIPIENDI AUT EXISTIMANDI CAUSA SCRIPTA SUNT, PASSIM TAMEN DE LITTERIS JUDICIA REPERIUNTUR

CAPUT I

QUID APUD LYRICOS POETAS AD LITTERAS JUDICANDAS PERTINEAT : DE EO POETICO GENERE QUOD « *Trobar Clus* » DICITUR

Omnia fere quae Provinciales de litteris suis reliquerunt ad lyricos pertinent, sive poetarum singulorum ingenia aestimare sive de arte ipsa poetica disserere tentant. Nam, ut supra diximus, cum lyricum genus maxima cum laude coluerint, ceteris vero scriptorum generibus plerumque inhabiles se praebuerint, fieri non potuit ut de his recte disputare instituerent. Etenim de qualibet arte tum demum disputari potest, cum ars ipsa, multis operibus editis, suam naturam quasi patefecit.

At cum lyrici poetae saepe in ipsis carminibus, etsi aliud agebant, eo tamen adducti sint ut de poesi dissererent, de praecipua Provincialium litterarum parte rectius existimare possumus. Primum igitur, lyricis ipsis juvantibus, quid hi de sua arte senserint quaerendum est, quo certiores fiamus quatenus poetae viguerint, quave ratione poesim sibi in animo finxerint.

Permultos locos omittimus, quibus lyrici vel semet ipsos maximis laudibus certatim efferunt, vel carminibus

suis exspectationem omnium commoveri aiunt. Nam, cum illis temporibus non eodem modo quo nunc de hominibus proprias laudes praedicantibus judicari soleret, multi magnificentissime se jactare non dubitaverunt. Quaecumque isto pacto de se dixerunt nihil ad poetarum ingenium recte dinoscendum valent, dum huic rei solum testimonio sunt, illud « genus irritabile vatum » et « gloriosum genus » rectius dici posse[1].

Saepe quidem fit ut lyrici in prima carminum parte libenter res ad litteras pertinentes attingere et de arte sua disserere in animo habere videantur : sed mox ad ea quae proprie sunt generis suscepti converti solent[2]. De una tamen quaestione gravissima, quae ad propriam Australis poesis naturam attinet, accuratius a nonnullis lyricis disceptatum est. Eos autem locos significamus quibus poetae de arte obscurius scribendi (Provinciali sermone *trobar clus)* locuti sunt ; quae res profecto digna videtur quae nos detineat, cum per se ipsa maximi sit

1. Innumerabilia exempla cum afferre possimus, id tamen parum utile nobis videtur. V. v. g. quomodo de se locuti sint Petrus Vitalis *(Ajostar e lassar* v. 1-5. *M. G.* 22. ex cod. C), Bernardus Ventadornensis *(Non es meravelha s'ieu can* v. 1-4. *P. O.*, p. 3), Geraldus Borneliensis *(Nom platz chantz de rossinhol* v. 30. *M. G.* 860 ex cod. C), Raimundus de Miravalle *(De trobar ai tot saber,* v. 1 et s. q. *M. G.* 933. ex cod. V), Raimundus Gaucelmus Biterrensis *(A penas vauc en loc qu'om nom deman* v. 1-6. *P. O.*, p. 300), Gausfredus Rudellus *(Lanquan lo temps renovelha* v. 55-58. ed. *Stimming*, p. 59) etc...

2. Duos sirventesios, quorum alter a Petro Arverno, alter a Monacho de Montalduno ad quosdam poetas lacessendos compositus est, hic laudavissemus nisi in satiram inciderent : nunc pleraque in his immoderatius dicta sunt quam ut eosdem aestimatione dignos habeamus. Petri sirventesius a Carolo *Bartsch* editus est in *Chrestomathie Provençale*, p. 79, Monachi sirventesius ab O. *Klein* in « *Dichtungen des Mœnchs von Montaudon* », p. 22.

momenti et jam ab Australibus ipsis in controversiam artificiose adducta sit.

1. Quid de obscuro genere ex lyricorum operibus comperti habeamus.

Jamdiu equidem demonstratum est[1] nullas poetarum familias apud Provinciales fuisse, cum horum nemo ex ullius magistri disciplina profectus in litteris elaboraret. Sed, si verum loqui volumus, antiquissimis jam temporibus lyrici poetae inter se dissenserunt, dum alii obscurum dicendi genus *(trobar clus)*, dilucidum genus *(trobar clar)* alii praedicare solent.

Permultis autem verbis sed idem valentibus lyrici obscurum genus nominant : hoc enim *car, ric, oscur, sotil, cobert* dicunt ; contra alterum genus *leu, leugier, plan* appellant. Quibus verbis jam nunc intellegi potest quid utriusque generis peculiare sit.

Nam qui in obscuro poetico genere versabantur in verbis omnia ea affectabant quibus ars magis ardua fieret et tantum multo sudore ac labore opus perficiendum existimabant. In oratione igitur verbis vel ambiguis, vel inauditis, vel quaesitis, dictis simul arcessitis et quadam odiosa verborum structura, aut similiter per primas litteras sonantibus verbis, et in struendis versibus insolitis rationibus uti solebant.

Cum permulta testimonia ex antiquissimis poetis excerpi possint, quibus manifestum fiat hos et ad obscurae poesis studium se contulisse, et de illa in

1. V. F. Diez « *Die Poesie der Troubadours* » gallice conversa a *de Roisin*, p. 19-21.

utramque partem disputavisse, gravissima tamen tantum afferemus.

***

Illud autem genus Marcabrunum primum omnium poetarum affectavisse novimus[1]. Etenim non solum hic carmina ad illam rationem ita condidit ut haec plerumque interpretando vix explanare possis, sed etiam in ejus operibus complures locos reperire est quibus obscurum scribendi genus jam tum in existimantium arbitrium venisse intellegas. Imo, nonne Marcabrunus ipse hoc loco simul et quod orationis genus assumpserit profiteri et ejusdem vitia agnoscere videtur ?

Per savil tenc ses doptansa
cel qui de mon chant devina
so que chascus moz declina,
si cum la razos despleia :
qu'eu mezeis sui en erransa
d'esclarzir paraul' escura[2].

Mirum profecto poetam obscuri generis fautorem id confiteri !

Apud Petrum Arvernum (1158-80), quem, etsi ali-

1. Quod ad tempora attinet, virum doctissimum Camillum *Chabaneau* sequimur, qui in eo libro cui titulus « *Les Biographies des Troubadours en langue provençale* » summa diligentia prudentiaque, et intra certiores fines quam Fredericus *Diez*, ad quos annos Australium poetarum carmina referri possent, notavit.

2. « Sagacem eum duco sine ulla dubitatione qui in meo carmine quid quodque verbum dicat intellegit et quomodo argumentum explicetur : nam mihi ipsi est inopia consilii, ubi obscurum verbum mihi explanandum est. » *(Per savil tenc ses doptansa,* v. 1-6. *M. G.* 722. ex cod. I.)

quanto post Marcabrunum floruit, licet quoque inter veteres poetas adscribamus, quaedam et in obscuram genus cadunt, sed laudetne Petrus an detrectet hoc haud semper facile dijudicari potest. Hoc tamen loco illud genus potius probari videtur :

Be m'es plazen
e cossezen
qui s'ayzina de chantar
ab motz alqus
serratz e clus
qu'om tem ia de vergonhar[1].

Reliquum carmen ad mores, ut saepe fit, tantum pertinet. Sed, cum in ultima ejus carminis stropha, quod ad aequales suos detrectandos Petrus Arvernus scripsit, huic poeta quidam orationis obscuritatem vitio dederit, nihil obstat quin existimemus Petrum inter eos fuisse qui obscuram poesim non solum tractaverint sed etiam optime praedicaverint. Injuriose quidem sed haud insulse ab illo poeta Petri dicendi genus deridetur :

Peire d'Alvernhe a tal votz
que canta cum granolh 'en potz,
e lauzas trop a tota gen ;
pero maistres es de totz,
ab qu'un pauc esclarzis sos motz,
qu'a penas nulhs hom los enten[2].

1. « Mihi valde placet probaturque qui pressis absconditisque verbis ad canendum uti instituit... » *(Be m'es plazen,* v. 1-5. *M. G.* 226. ex cod. C.) Sensus ultimi versus non plane liquet.

2. « Petrus Arvernus is cantator est qui sicut rana in puteo cantet, et gloriosius de se ipso semper praedicat ; hic nimirum omnium magister est, dummodo verba sua aliquantum explanet, cum haec vix intellegi possint. » *(Chantarai d'aquest trobadors,* v. 79-84. Bartsch : *Chrestom. Provenç.*, p. 82.)

Hoc autem memoramus quia Petrus se magistrum habuit : talem hunc quidem exstitisse merito dixeris, si versificationem tantum, non cogitationes aut animi affectus respexeris.

***

Etsi haec testimonia non sunt omittenda, minoris tamen momenti sunt quam quae postea apud lyricos qui tum cum Australium poesis maxime florebat exstiterunt inveniuntur.

Tum enim de illo obscuro genere a duobus nobilissimis lyricis in quadam contentione disputatum est. Primum de hac contentione dicemus, dein ea quae de eadem quaestione in aliis carminibus reperiuntur, dum alii obscurum genus detrectant, alii contra laudant, colligemus.

Carmen de quo agitur Geraldus Borneliensis et alter poeta, commenticio nomine *Linhauré* dictus, condiderunt : hunc Rambaldum Arausicensem esse Kolsenius permultis argumentis confirmavit[1].

Illa autem poetica contentio, ex ejusdem existimatoris sententia, intra annos 1168 et 1173 est referenda[2]. Hanc, cum maximi sit momenti, fere totam laudari decet.

Rambaldus se obscurum genus sequi, quia tantum doctis placere velit, profitetur ; Geraldus contra se dilucidum genus probare dicit, ut quam plurimos lectores delectet.

1. V. Ad. Kolsen : *Guiraut von Bornelh, der Meister der Trobadors*, p. 45-51.

2. *Op. laud.*, p. 60.

I. *Aram platz, Guiraut de Bornelh,*
que sapcha per c'anatz blasman
trobar clus ni per cal semblan.
Aisom diatz
si tan prezatz
so quez es a totz comunal :
car adonc tuch foran egal.

II. *Senhe'n Linhaure, nom corelh,*
si quecs se trob' a so talan ;
mas eu son jutjaire d'aitan
qu'es mais amatz
chans e prezatz,
quil fai levet e venasal,
e vos no m'o tornetz a mal.

III. *Guiraut, no vuelh qu'en tal trepelh*
torn mos trobars, quez om am tan
l'avol col bon el pauc col gran.
Ja per los fatz
non er lauzatz ;
car no conoiso ni lor chal
so que plus char es ni mais val.

IV. *Linhaure, si per aiso velh*
ni mo sojorn torn en afan,
sembla quem dopte del mazan ?
A que trobatz,
si no vos platz
c'ades o sapcha tal e cal ?
Que chans no port' autre chaptal.

V. *Guiraut, sol quel melhs aparelh*
e di' ades e trai' enan,
me no chal, si tan no s'espan ;
c'anc grans viutatz
no fo denhtatz ;
per so prez'om mais aur que sal,
e de chan es tot atretal[1].

1. I. « Nunc scire velim, Geralde Borneliensis, quare et quid respiciens absconditam poesim reprehendas. Num tu, quaeso, istud

Reliquum autem carmen, cum de eadem quaestione non sit, afferre inutile videtur ; adde quod verba ita obscura in extrema parte sunt, ut adhuc vel acutissimi grammatici ea interpretari non valuerint.

Saltem quomodo Geraldus et Rambaldus de re proposita judicent liquet. Itaque disceptatio illa digna est quae memoretur, quod indicat lyricos tum interdum existimatoris officio fungi adortos esse, ut semetipsos artemque suam aestimarent. Quales vero existimatores se praebuerint infra dicemus.

Sed non in illo tantum carmine de eadem re disputatum est : imo lyrici hanc in nonnullis carminibus, quanquam haec de arte poetica proprie non erant, accuratius perscrutati sunt.

tanti facis quod omnibus est commune ? Nam, si res ita se haberet, omnes pares essent. »

II. « Domine *Linhaure,* haud equidem aegre fero unumquemque versus arbitrio suo componere ; verum id tantum judico, carmen leviter simpliciterque conditum magis placere et pluris aestimari : noli hoc mihi vitio vertere. »

III. « Geralde, nolo, cum versus mei tanti sudoris sint, id tantum consequi ut malum et bonum, parva et magna exaequentur. Nunquam me stulti laudabunt, nam isti neque noverunt quid pretiosissimum vel optimum sit, neque id curant. »

IV. « *Linhaure,* si eo consilio (i. e. ut versus dilucidiores faciam) pervigilo et otium mihi in laborem vertitur, num videor laborem formidare ? Cur versus condis, si tibi displicet omnes hos protinus scire ? Etenim poesis nullum alium fructum fert. »

V. « Geralde, dummodo in eo quod optimum est laborem, et illud assidue dicam et in vulgus emittam, parvi mea refert id non latius emanare. Nunquam enim quod vilissimum est in pretio fuit ; itaque aurum pluris quam sal aestimatur : similiter de carminibus existimatur. » *(Aram platz, Guiraut de Bornelh,* v. 1 et s.q, ex Kolsenio, *op. laud.,* p. 83.)

Multi quidem Australes obscurum genus assumpserunt aut certe nonnunquam secuti sunt ; paucis tamen locis hujus generis patrocinium ab illis susceptum est[1]. Etenim, dempta poeticae contentionis supra allegatae parte quam Rambaldus Arausicensis scripsit, tantum apud illum poetam (ne minoris momenti locorum mentionem faciamus) qui obscurum genus in praedicto carmine improbat, id est apud Geraldum Borneliensem ipsum, aliquid pro eodem genere disputatur. Qui, cum non scientia solum aut arte sed judicii etiam acumine se dignum aequalium admiratione praestaret, persaepe de liquido scribendi genere aut de obscuro in carminibus disseruit. Postquam Geraldus obscurius genus affectaverat, deinde, mutata ratione, inaffectatam et quasi in medio positam artem tentavit.

Etenim ex ipsius Geraldi testimonio hunc primum obscuri generis defensorem fuisse constat[2] : namque in extrema cujusdam carminis parte ait :

> *E vos entendedors vejatz,*
> *que sabetz mon lengatge,*
> quora que fezes motz serratz,
> *s'ara los ai ben esclairatz.*
> *E soi m'en pels prims esforsatz,*
> *qu'entendan quals cansos ieu fatz*[3].

1. Etsi Arnaldus Daniel in condendis versibus obscurum genus secutus est et inter hujus generis fautores praecipuus habetur, nulla sententia ex ejus carminibus excerpi potest quae ad hanc quaestionem pertineat.

2. Kolsenius accuratissime recensuit omnes fere locos qui in Geraldi carminibus ad obscurum genus attinent (V. *op. laud.*, pp. 41-45) : eos tantum afferemus qui poetae sententiam indicare possunt.

3. « Et vos amantes, qui meam dicendi rationem novistis, etsi ego quondam adstrictos versus facere solebam, nonne hos nunc

Contendérat enim quondam obscuri generis carmen difficilius quidem plerumque intellegi, sed eo majorem laudem consequi solere ; quod his versibus confirmatur :

... S'ieu joing ni latz
menutz motz serratz,
puois en sui lauzatz,
quan ma razos bona
par ni s'abandona ;
c'om ben enseignatz,
si bei ve
ni mon dreich chapte,
non vol, al mieu escien,
c'a totz chan comunalmen[1].

Illum vero jam in eo esse ut novam scribendi rationem affectet quodam carmine demonstratur, in quo melius futurum esse dicit si « cantiunculas laetas cum verbis pulchris, omni ex parte dilucidas et planas, quam nimis obscuras et distortas ediderit[2]. »

Etenim postea id cupit, carmina sua ab omnibus intellegi, ut ex nonnullis versibus conjecturam facimus, quibus et apparet ceteros poetas non recte judicavisse quid ille conaretur quo clariora carmina conderet : quo fit ut non sine quodam stomacho dicat :

illustrissimos facio ? Et in hoc elaboravi ut subtiles homines quas cantiones conderem intellegerent. » *(No posc sufrir qu'a la dolor,* v. 61-66 ; *P. O.* p. 131.)

1. « ... Si jungo et necto minuta et pressa verba, deinde ob id ipsum laudor, cum meum bonum argumentum apparet et quasi omnibus permittitur ; nam scio quemlibet virum doctissimum, recte de hoc judicantem meumque jus tuentem, nolle me omnibus aeque canere. » *(Laflors el vergan,* v. 36-46 ; *M. G.* 848, ex cod. A.) — Non sententiam Kolsenii approbamus, qui *quemdam* Geraldi amicum his verbis significari existimat. (V. *op. laud.,* p. 42.)

2. *Dels bels digz menutz frays,* v. 9-13 ; *M. G.* 241, ex cod. C.

Eras sim fos a grat tengut,
preir'ieu ses glut
un chantaret prim e menut,
qu'el mon non ha
doctor qui tan prim ni pus pla
lo prezes
ni mieils l'afines ;
e qui (m) crezes
c'aissi chantes,
polira,
forbira
mon chan
ses effan
gran.
Mas a lor veiaire,
quar no sabon gaire,
falh quar no l'esclaire
d'aitan
que l'entendesson neus l'enfan[1].

Geraldus enim, dum arti semper eamdem difficultatem inesse contendit, dilucidus quidem, non insulsus esse studet. Multa vero sunt indicio illum ita in hac sententia permansisse ut de versibus omnem obscuritatem tollere contenderet :

Tot soavet e de pas,
rizen, jogan,
vauc un chantaret planan
de ditz escurs
c'us noi remaigna[2].

1. « Nunc, si hoc aliis gratum futurum esset, sine fuco tenue carmen, leve simplexque condere instituerem ; nullus enim doctus est qui id *(scil.* carmen) tam facile et planius probare aut melius limare posset ; si quis ita me reipsa cantare crederet, carmen meum polire et excolere mihi haud difficile esset. Nunc vero, — sunt enim imperitiores, — me errare, cum id non tam planum faciam ut vel infantes intellegere possint, arbitrantur. » *(Eras sim fos a grat tengut,* v. 1-19. *M. G.* 215, ex cod. C.)

2. « Lente et quasi pedetentim, ridens, jocans, tenue carmen

Iisdem fere verbis eamdem sententiam in alio carmine profitetur, praeterquam quod, simplicem poesim tentaturus, sibi diffidere videtur :

Al plus leu qu'eu sai far cansos,
com cel que daur' et estaigna,
m'i enpren eras, mas doptos
son mo[s] *saber*[s] *no s'en fraigna.*
Mas per tal me platz assaiar
com leu cansoneta fezes,
car so chant'om mais qu'es mei[*n*]*s car :*
per qu'eu vau planan mon chantar
d'escurs ditz *c'om leu l'aprezes*[1].

Apertius etiam alio loco agit : cum jam nunc persuasum habeat boni poetae esse versus quos omnes intellegant componere, eo ipso indicat se, quamvis ad magis ardua carmina condenda idoneus sit, ex industria tamen dilucidiora scribere :

A penas sai comensar
un vers que vuelh far leugier ;
e si m'ai pessat des ier
quel fezes de tal razo
que l'entenda tota gens,
e quel fass' a leu chantar,
qu'ieul fas per plan deportar.

obscuris verbis ita expedio ut nullum supersit. » *(Tot soavet e de pas,* v. 1-5, *Studj di filologia romanza,* t. V., p. 479, ex cod. H.)

1. « Ut qui aurum inducit et stannum incoquit, ita nunc quam levissimas cantiones condere instituo, sed subtimeo ne mea sollertia hoc frangatur. Attamen conari volo, si cantiunculam facere possim; nam id potius cantari solet quod minus exquisitum est. Itaque e carminibus meis verba obscura tollo, ut illa facile ediscantur. » *(Al plus leu qu'eu sai far cansos,* v. 1-9, *Studj di fil. rom.,* t. V., p. 481, ex cod. H.)

Bel saupra plus cubert far,
mas non a chans pretz entier,
quan tug non son parsonier.
Qui ques n'azir, mi sap bo
quant aug dire per contens
mo sonet rauquet e clar,
e l'aug a la font portar[1].

Ne quis vero putet poetam, si ad vulgi opinionem poesim accommodare voluerit, artem demissurum esse, Geraldus haec addit :

... atrestan grans sens
es, qui sap razon gardar
cum dels motz entrebescar[2].

Nec temere ita loquitur Geraldus : censet enim id haud parvi ingenii indicium futurum esse, si quis versus faciles ad intellegendum composuerit ; quod apertissime sequenti loco declaratur :

Leu chansonet' e vil
auria obs a far
q'eu poges enviar
en Alvergn' al Dalfi.
Pero s'el dreit cami
poges N' Ebl[on] trobar,

1. « Vix versum incipere possum, qui levis sit ; heri tamen in animum induxi carmen condere quod ab omnibus intellegi et facile cantari posset ; nam id facio prorsus ad homines recreandos. »
« Id quidem obscurius condere possem : sed minoris fit carmen cujus omnes non sunt participes ; licet alii hoc stomachentur, me delectat meam cantiunculam subrauca et clara voce ab omnibus cani et ab aquariis ad lacum euntibus quasi deferri. » *(A penas sai comensar,* v. 1-14, *M. W.* I., p. 195.)

2. « Tam prudens est qui rationem servat quam qui verba apte connectit. » *(A penas sai comensar,* v. 19-21, *ibid.)*

bel poiria mandar
*qu'eu dic qu'*en l'escurzir
non es l'affanz
mas en l'obra sclarzir[1].

Qua sententia nulla ex his quas adhuc apud lyricos invenimus praestantior est, cum per hanc manifestum fiat Geraldum non inconsulto de arte poetica disputavisse.

Eodem fere tempore quo Geraldus Borneliensis de hac re scripsit, Raimundus de Miravalle opinionem eorum qui obscurum dicendi genus defendebant aperte in prima cujusdam carminis parte oppugnavit :

Anc trobars clus ni braus
non dec aver pretz ni laus,
pos fon faitz per vendre,
contrals sonetz suaus,
coindetz, aissi com euls paus,
e leus ad aprendre,
ab bels ditz clars e gen claus,
car per far entendre
non cal trop contendre[2].

Minime quidem in obscuro est quid Raimundus de Miravalle hoc loco vituperare voluerit : sed utinam sen-

1. « Levis et tenuis cantiuncula mihi còndenda est, quam ad Delphinum Arvernensem mittere possim ; quae si in itinere domino Ebolo occurrat, huic dicat mea quidem sententia *non rebus obscuritatem afferre, sed opus dilucidare magni esse laboris.* » *(Leu chansoneta e vil,* v. 1-10, *M. G.* 850, ex cod. H.)

2. « Nunquam fieri potuit ut poesis obscura et aspera pretium laudemve haberet, cum ideo ista inventa sit ut venalis esset, prae cantiunculis suavibus, festivis, talibus quales ego condo, et hae sunt faciles ad ediscendum, e pulchris verbis, dilucidis, recte collocatis compositae : caveat enim ne operosior sit qui vult intellegi. » *(Anc trobars clus ni braus,* v. 1-9. Bartsch, *Chrest. Prov.,* p. 149.)

tentiam pluribus argumentis confirmavisset ! Reliquum enim carmen omnino nihil ad eamdem rem pertinet. Verumtamen Raimundus sibi ipse consensit et omnia fere carmina sua eadem verborum tenuitate scripsit. Itaque haud immerito praecipuus dilucidae poesis fautor inter ejusdem aetatis lyricos habetur[1]. Attamen, praeter locum supra laudatum, alter tantum locus in Raimundi carminibus ad eamdem quaestionem spectare videtur :

Chans, quan non es qui l'entenda,
no pot res valer,
e pus luec ai e lezer
que mon bel solatz despenda,
ses gap si 'un pauc auzit :
quar totz ditz es mielhs grazitz,
quant a la fi pauzon ben las razos :
per qu' ieu vuel far entendre mas chansos[2].

At poetae frustra enixi sunt ut obscurum dicendi genus invidiam susciperet, cum hoc in extremis Australium poesis temporibus exstinctum non videamus.

***

Post priorem tertii decimi saeculi partem Landofrancus Cigala[3] in quodam carmine obscurum genus etiam tum longius insectatur :

1. V. F. Diez : *Leben und Werke der Troubadours,* 394.

2. « Carmen quod nemo intellegit nullum pretium habere potest ; cum autem locus sit mihi et otium pulchri gaudii effundendi, hoc aliquantum remoto joco excipiatur ; nam omne opus gratius est cum in extremo carmine res recte collocantur : quamobrem ego mea carmina intellegi volo. » *(Chans, quan non es qui l'entenda,* v. 1-8, *M. G.* 1105 et 1106 *ex codd.* H. C.)

3. Cujus carmina intra annos 1241-1257 ponenda sunt.

Escur prim chantar e sotil
sabria far sim volia,
mas nos taing c'om son chant asil
ab tan prima maestria
que no sia clars com dia ;
que sabers a pauc de valor
si clardatz noill dona lugor ;
qu'escuretat tota via
ten hom per mort, mas per clardat reviu ;
per qu'eu chant clar e d'ivern e d'estiu.

Tan tost chant d'ivern quan d'abril
ab sol que razos i sia,
e prez mais, qui qu'en als s'apil,
clar dig ab obra polia,
qu'escurs motz ab seran lia ;
e nom par qu'aia tan d'onor,
si tot la cuj' aver major,
cel que son chant ser e'lia,
com cel que[l] fai ab clardat agradiu :
per qu'eu, quan chant, en chantar clar m'abriu.

E qui m'en tenia per vil
ni m'o contav' a folia
ben sai qu'ab quatr' omes de mil
d'aiso no s'acordaria ;
e pos tan grans parz fos mia
s'el en prendia deshonor,
poiri' encolpar sa folor ;
et es ben grans aurania
qu'escurs motz fai qu'us qu'aja sen autiu
tals que no sab trair' aiga de clar riu[1].

Haec profecto Landofrancus Cigala non scripsisset, si tum obscuro generi amatores defuissent.

1. « Obscurum, exquisitum, subtile carmen facere possem, si vellem ; sed non decet ullum carmen adeo subtili scientia tegi ut non tam clarum quam lux sit ; nam ea scientia parvi pretii est cui perspicuitas non lumen adhibet ; obscuritatem enim semper mor-

2. Quibus de causis haec de poesi praecipere potuerint Provinciales.

E supra allegatis locis apparet ea quae ad obscurum scribendi genus pertinebant lyricis ipsis gravissima visa esse, cum omnibus fere temporibus de hoc genere disputare tentaverint. Fieri autem non poterat quin haec res in controversiam veniret. Cum id praesertim nobis sit propositum, quatenus lyrici se ad litteras aestimandas aptos declaraverint inquirere, non tamen alienum putamus quibus de causis obscurum illud genus invaluerit breviter dicere.

Primum exquisitissima doctrina quam Provinciales de amore sibi finxerunt, cum in omnibus poeticis generibus, tum praecipue in iis quae de amore sunt, id est in can-

tem ducunt, sed per splendorem carmen quasi reviviscere existimant : quamobrem ego et hieme et aestate dilucida carmina condo. »

« Tam libenter hiemis quam aprilis tempore cano, dummodo argumentum sit; licet sint qui aliis rebus nitantur, pluris facio dilucidum carmen eleganter compositum quam obscura verba compresse copulata ; qui carmen suum densat et constringit, mea sententia, in minore laude est, quanquam ipse in majore se esse putat, quam qui jucundam perspicuitatem praebet : quamobrem ego, quotiescumque cano, dilucidum poesis genus sequor. »

« Si quis propter id me vilem esse et desipere dixerit, certo scio ne quattuor quidem homines ex mille de hac re huic assensuros esse ; et, cum tam multi mecum facturi essent, si hoc isti probro verteretur, suam insaniam ipse accusare posset ; summae enim stultitiae est eum obscuros versus condere et superbum se praebere, qui ne aquam quidem ex liquido rivo haurire potest. » *(Escur prim chantar e sotil,* v. 1-30 ; *M. G.* 551, ex cod. I.)

tionibus, ad scribendi rationem eligendam magni momenti fuisse videtur.

Neminem enim fugit lyricos jam a principio ita instituisse ut quam maxima possent cura dissimularent qua necessitatis ratione cum mulieribus uterentur. Imo in omnibus rebus occultandis adeo delectantur, ut hos persaepe sine ulla causa id agere dixeris. Itaque fictis nominibus plerumque appellant non solum mulieres quas a se diligi aiunt, sed etiam principes quorum vel tutela vel amicitia nituntur, dum artem *celandi* primam omnium et maxime necessariam legem esse existimant. Quo fit ut et in rebus et in verbis eadem dissimulatione uti soleant. Cum autem jam primis lyricae poesis temporibus haec placita viguisse constet, nil mirum si jam tum de obscuro scribendi genere ab Australibus dissertum est.

Adde quod Provinciales lyrici hoc maxime spectabant ut proceres carminibus delectarent ; quin etiam inter Australes poetas permultos nobiles fuisse constat. Qui humili loco erant nobiles ipsos tantum observabant. Nam, cum per hos praesertim famam aut divitias consequi possent, nihil de vulgi opinione curabant. Itaque, cum lectissimis viris, exquisito pro illis temporibus judicio praeditis, ars putidior non displiceret, hoc ipso poetae eo facilius adducti sunt ut ambigua et inflexa oratione plerumque uterentur. Illud profecto dici non potest, Provinciales molestam orationem ob eam solam causam affectasse quia proceribus plerumque scriberent, sed id certe, illos ita citius obscurum genus assumpsisse, constat.

Fieri etiam potuit ut lyrici, cum poesim suam rerum inopem esse perspicerent, hanc quadam orationis

affectatione commendare conati sint. Falsum vero putaverunt, cum nihil esset cur ad istam lubricam artem confugerent. Nam scriptorem ea quae haud sine periculo aperte expromi possunt tectis verbis dicere licet ; sed Provinciales lyricos, quia ficta vel commenticia plerumque loquebantur, simplicioribus verbis uti decuit. Etenim orationi obscuritatem afferendo id solum effecerunt ut legentium animos rerum inopia magis etiam offenderent.

Ceterum haud dubium est quin obscurum genus apud Provinciales propter exquisitius judicium his insitum praesertim invaluerit. Quod si non fuisset, illud genus ineuntibus litteris non ortum esset. Quamvis multorum populorum poetae respiciantur, hoc de Provincialibus tantum dici potest, artem subtiliorem ab initio non modo ab his cultam sed etiam disputatam fuisse.

Namque hi, non quod alius generis satietate afficerentur aut aliter scribendi artem concipere non valerent, ad obscurum genus se converterunt, sed quia se flexibili ad omnia pariter ingenio praeditos esse ostendere jam tum delectabantur.

3. Cujus momenti sit illa de obscura poesi disputatio.

Cum nonnulli lyrici de obscuro genere quasdam sententias tulerint, quam late manet illa disputatio et quales in disserendo Provinciales se praebuerint diligentius dicendi copiam habemus.

Minime dubium est quin ratio qua poeticae orationi de industria obscuritas affertur in vituperationem cadat ;

quod cum manifestum sit, multum in hoc esse non decet. Sed illas vel de obscuro vel de dilucido genere disputationes maximi momenti esse jure dixeris, praesertim si aetatem respexeris. Has enim latissime patere ducimus, cum et ad poesis vim pertineant et Provinciales litteris existimandis haud inhabiles fuisse indicent[1].

Australes enim, dum haec disputant, primi omnium eorum qui originem a Latinis ducunt, rem ad universas litteras spectantem agitasse videntur : argumento est quod postea eadem res de integro in certamen non semel adducta est. Nam persaepe apud recentiores magna fuit contentio inter scriptores qui poesim ad vulgi sensum accommodatam esse voluerunt, et eos qui tantum electissimum quemque carminibus delectandum esse existimaverunt. Ita in sexto decimo saeculo, qui Pleiadis disciplinam professi sunt, cum nostratem poesim per antiquas litteras illustrare niterentur, hoc tam immoderate fecerunt ut suam ipsi famam valde laeserint : quod forte non accidisset, si vulgi opinionem pluris fecissent. Sic et postea poetae isti qui putide loquebantur (gallice *les précieux)* a scriptoribus qui planum et simplicem sermonem esse volebant sunt lacessiti.

Quodsi nunc quomodo de hac re Provinciales ipsi

1. Non in Australi Gallia tantum sed etiam in Italia de eadem re disputatum est. Nam in tertio decimo saeculo, Italici poetae qui Provinciales lyricos imitati sunt de obscuro genere in carminibus sunt locuti : quod genus alii detrectabant, cum idem alii valde laudarent. Cum autem ad hoc genus significandum eisdem fere verbis ac Provinciales usi sint (scilicet *chiuso parlare, dettato forte, sottile)*, constat Italos non modo Provincialium carmina sed etiam disputationes imitatos esse. De hoc v. Gaspary : *Die Sicilianische Dichterschule des dreizehnten Jahrhunderts,* p. 107-113.

disseruerint quaeritur, hos potius poesis speciem, id est verba, quam res spectavisse apparet : quod nemo admirabitur, cum Provinciales lyrici non tam animi affectibus quam orationis et versificationis virtutibus magnam laudem consecuti sint : de hoc igitur quod maxime curabant potissimum disputaverunt. — At enim in eo errasse videntur quod poesis speciem tantum spectaverunt. — Hoc quidem haud infitiamur. Sed in ipso errore nonnihil laude dignum esse censemus.

Nunquam enim Provinciales lyricos ita orationis cura sollicitasset, nisi hi, admirabili pro illa aetate ingenio instincti, scripta tantum accuratissime elaborata in stabili laude futura esse persuasum habuissent. Ad obscurum autem genus nimia in verbis expoliendis sollicitudine sunt deducti.

Ne quis vero temere dictum esse putet illos errasse quidem sed ad meliora nisos fuisse, meminerimus quomodo Rambaldus Arausicensis in supra laudata contentione obscurum genus tueatur. Nonne enim se contentum profitetur « *dummodo in eo quod optimum sit laboret*[1] » ? Non solum igitur quia indoctorum approbationem pro nihilo ducebant nonnulli lyrici obscuram poesim praedicabant, sed etiam quia laboris studiosi et proficiendi cupidi artem difficiliorem, quo eamdem honestiorem redderent, esse volebant. Itaque, quamvis illa ratio per se lubrica sit et nonnullorum poetarum famae noxia fuerit, eadem poetas illos summa observantia artem suam coluisse nec « limae labore » offensos fuisse indicio est. Cum cetera Provincialium poesi peculiaria id confirmant, tum praesertim illae de obscuro genere disceptationes.

1. V. supra, p. 15.

Ceterum, cum lyrici quidam jam tum obscurae poesis vitia perspexerint, minorem vituperationem subeunt Provinciales. Pauciora quidem, haud spernenda tamen de hac re dixerunt : notanda in primis videntur ea quae Geraldus Borneliensis pari perspicuitate ac sapientia ad dilucidum genus defendendum professus est. Ille enim quid poesis vis requireret et simul quid poetarum famae prodesse posset intellexit et, quamvis brevem de obscuro genere sententiam tulerit, quam rectissime de hoc judicavit :

... eu dic q' en l'escurzir
non es l'affanz,
mas en l'obra sclarzir[1].

Etenim, si tempora respicias, Geraldi judicium maturius fuisse quam illa ferebat aetas manifestum est. Nonne idem multo post de poesi praecipiebat Bolaeus ipse, a quo Racinius ita institutus fuit ut versus faciles difficulter conderet ? Geraldum igitur non solum poetae officio functum esse, sed etiam existimatoris partes agere potuisse fatendum est.

1. V. supra, p. 22.

CAPUT II

QUOMODO DE AUSTRALIBUS POETIS IN « *Lyricorum Vitis* » EXISTIMETUR

Liceat nobis jam nunc pauca de *Australium Lyricorum Vitis* Provinciali sermone scriptis disserere. Nam hae, cum praesertim ad pristinorum poetarum mores cognoscendos valeant[1], tamen et ad artem litterarum aestimandarum permultis locis pertinere videntur. Quamvis enim pleraeque vitae breviter et jejune scriptae sint, persaepe nos de lyricorum operibus certiores faciunt, dum aut quibus potissimum generibus poetae se dediderint docent, aut de horum ingenio existimationem habent.

Qui fuerint illi existimatores non satis constat : tantum enim Hugonem de Sancto Cyrico vitam Savarici de Malleone et forte nonnullorum aliorum poetarum vitas, et Michael de Turri Petri Cardinalis vitam scripsisse novimus[2]. Sed cum in multorum vitis quaedam verba

1. Quod rectius etiam de poematum argumentis (sermone Provinciali *razos)* dici potest, quae cum nonnullorum poetarum vitis nobis tradita sunt. — *Vitarum* locos ex editione Camilli *Chabaneau* afferemus. *(Les Biographies des Troubadours en langue provençale, Tolosae* 1885.)

2. De hoc v. *Chabaneau, Biogr.*, p. 3 et 4.

narrandi aut judicandi causa similiter dicta deprehendere liceat, ex hoc probabiliter paucissimos scriptores illas vitas composuisse confici potest.

Verumtamen *Lyricorum Vitae* maximi sunt momenti, si Australium lyricam poesim describere velis. Etenim primum per has quae genera multi poetae tractaverint novimus : quod magnopere refert, quia aut horum nomina tantum nota habemus, aut paucissima ex operibus quae illi scripserunt exstant. De omnibus autem fere lyricis in *Vitis* dicitur quibus praesertim operibus famam consecuti sint. Cui testimonio nos confidere decet, nam vitae eorum quorum omnia fere opera habemus de his vera referre solent[1].

*
* *

Sed de *Lyricorum Vitis* in primis eo consilio dicimus ut quomodo de poetis in his judicetur ostendamus. De multorum autem lyricorum ingenio aut fama in *Vitis* existimatur. Equidem inter haec judicia multa parum

1. Ex vitis poetarum quorum mentionem hic facimus testimonia de poeticis generibus quae illi tractaverunt excerpi possunt ; permultorum nomina afferimus, ut quantam utilitatem *Vitae* praebeant ad Australium poesim describendam manifestum fiat. Etenim ad hoc plus minus pertinent vitae Cercamundi *(Biogr.*, p. 9), Marcabruni *(ibid.*, p. 9), Petri de Bussiniaco (p. 34), Geraldi de Saliniaco (p. 35), Hugonis de Baccalaria (p. 43), Reginaldi de Ponte (p. 46), Guarini Fusci (p. 53), Petri Arverni (p. 53), Delphini Arverni (p. 54), Petri de Mansaco (p. 58), Monachi de Montalduno (p. 61), Petri Cardinalis (p. 62), Geraldi Rufi (p. 63), Guarini de Apcherio (p. 63), Dominae Langobardae (p. 72), Petri Guillelmi (p. 76), Alberti a Coturnice *(Cailla)* (p. 76), Comitissae Diensis (p. 77), Pistoletae (p. 81), Ogerii (p. 88), Guillelmi Macelli (p. 88), Folcheti

definita sunt et infirmiorem judicandi facultatem declarant; praeterea minoris sunt pretii, quia saepe persimilia sunt vel non satis dissimilia inter se. Quod si tum forte cum de mediocribus poetis agitur tolerari potest (nam multos Australes lyricos parum inter se dissimiles esse haud infitiandum), attamen isto pacto praeclaros poetas, cum hi inter se virtutibus peculiaribus differant, judicari non decet.

Similiter fere in *Vitis* multi poetae commemorantur, de quibus id tantum plerumque dicitur, hos « versificandi et canendi peritos » fuisse. Sed, ne tam parvi momenti judicia diutius perscribendo taedium afferamus, quorum in vitis similia reperiantur designare satis sit[1].

Ceterum semper fere poetas in *Vitis* laudibus ornantur aut certe lenius judicantur : quo et infirmiora fiunt haec judicia. Raro enim fit ut reprehendantur poetae, aut ut cum exceptione laudentur. Ergo quo rariora sunt hujusmodi judicia, eo magis decet haec afferri.

Ita de Alberteto dicitur :

Romanensis (p. 94), Guidonis Cavillonensis (p. 94), Rigaldi de Tharascone (p. 94), Bertrandi de Pogeto (p. 94), Raimundi de Salis (p. 95), Bertrandi de Lamanone (p. 95), Guillelmi de Berguedano (p. 98), Alberti (p. 104), Petri de Mula (p. 104), Landofranci Cigalae (p. 105), Magistri Ferrari (p. 110).

1. V. Vitas Eliae de Barjolis (p. 49), Amalrici de Bellinodio (p. 50), Hugonis de Penna (p. 50), Guillelmi de Turri (p. 51), Gaucelmi Faiditi (p. 35), Petri Rotgerii (p. 53), Petri Bermundi Claudi (p. 89), Blacasseti (p. 95), Raimundi Jordani, vicecomitis Sancti Antonini (p. 42), Guillelmi VII Pictavensis (p. 6), Gausberti Podiocibotensis (p. 48), Petri Raimundi (p. 63), Guillelmi Ademari (p. 63), Perdigonis (p. 71), Guillelmi Ficarii (p. 76), Rambaldi de Vaccariis (p. 85), Cadeneti (p. 93).

« Fetz assatz de cansos que agron bons sons, e motz de pauca valensa[1]. »

De Gausfredo Rudello :

« E fetz de lieis mains bons vers ab bons sons, ab paubres motz[2]. »

De Petro Guillelmo :

« E fez ben coblas, mas trop en fazia[3]. »

De Raimundo de Salis :

« No fo mout conogutz ni mout prezatz[4]. »

De Geraldo de Calantione :

« Mal abelivols fo in Proensa e sos ditz, e petit ac de nom entrels cortes[5]. »

***

Attamen, ne quis miretur nos *Lyricorum Vitas* ad Provincialium litterarum cognitionem pertinere supra dixisse, merito confirmare possumus nonnullos poetas, haud multo copiosius quidem, sed diligentius et subtilius judicatos esse, dum alii laudantur, alii contra detrectantur.

Ita de Petri Arverni fama apertum testimonium hoc loco habemus :

« Mout fo onratz e grasitz per totz los valens barons e

1. « Multas cantiones condidit, recte quidem modulatas, sed jejune scriptas » (p. 94).

2. « Et de illa multos bonos versus condidit, bonos quidem modos, sed prava verba adhibens » (p. 10).

3. « Et fecit bene copulas, sed nimis multas » (p. 76).

4. « Nec illustris nec magni aestimatus fuit » (p. 95).

5. « Male exceptus est in Provincia ejusque opera non placuerunt, nec ipse in magna laude apud humanos fuit » (p. 50).

per totas las valens dompnas. Et era tengutz per lo meillor trobador del mon, tro que venc Guirautz de Borneill[1]. »

In Rigaldi Berbezilensis vita etiam de hujus scribendi genere sunt nonnulla verba :

« Saup miels trobar qu'entendre ni que dire..... Et el si se deleitava molt en dire en sas cansos similitudines de bestias e d'ausels e d'omes, e del sol e de las estellas, per dire plus novellas rasos qu'autre non agues ditas ni trobadas[2]. »

De Eliae Quadrelli ingenio satis pressa existimatio fit :

« Mal cantava, e mal trobava, e mal violava e pieitz parlava ; e ben escrivia motz e sons[3]. »

Gausberto Amelio laus data excerpi debet, cum laudis ipsius ratio ostendatur :

« Saup ben trobar e fetz los sieus vers plus mezuratz de home que anc mais trobes[4]. »

Sic et Deodati de Pratis carmina non solum non placuisse ex hujus vita comperimus, sed etiam qua de causa male excepta fuerint :

« Fetz cansos per sen de trobar ; mas no movian ben

1. « Valde honoratus fuit et bene acceptus ab omnibus bonis principibus et ab omnibus generosis mulieribus ; optimusque omnium poetarum habitus est donec Geraldus Borneliensis in notitiam pervenit » (p. 53).

2. « Melior fuit in versificando quam in intellegendo aut in dicendo. Et libentissime in cantionibus bestiarum, avium, hominum, solis, stellarum similitudinibus utebatur, quo res insolentiores quam ceteri poetae diceret » (p. 43 et 44).

3. « Male cantabat, male versificabatur, male fidibus canebat, pejusque loquebatur ; idem verba et modos bene scribebat » (p. 50).

4. « Bene versificatus est et versus numerosiores fecit quam ullus unquam poeta » (p. 50).

d'amor. Per que non avian sabor entre la gen, ni no foron cantadas ni grazidas[1]. »

Illud autem judicium, quod de sirventesiis Bertrandi Bornensis et de cantionibus Geraldi Borneliensis a quodam Aragonensi rege latum est, hic opportune memorabimus, quamvis notum sit : in Bertrandi vita legimus :

« Molt fo bons trobaire de sirventes, et anc no fes chansos fors doas. El reis d'Arago donet per molhers las chansons d'en Guiraut de Bornelh a sos sirventes[2]. »

Fieri non potuit ut de illis duobus praeclarissimis poetis majore festivitate et veritate existimaretur, cum nemo Bertrandum vi, lenitate Geraldum superarit.

Qui Petri Valeriani vitam scripsit de hoc gravius locutus est : quod judicium majoris etiam est momenti, quia breviter quidem sed recte vitium multorum Provincialium lyricorum commune significare et reprehendere videtur :

« E fez vers tals com hom fazia adoncs, de paubra valor, de foillas e de flors, e de cans e d'ausels. Sei cantar non agron gran valor ni el[3]. »

Denique, quid de lyricorum principis ipsius, Geraldi Borneliensis fama in hujus vita traditum sit memoremus:

1. « Cantiones, versus ratione condendo fecit ; sed hae, quia ex amore non proficiscebantur, nec cantatae sunt nec placuerunt » (p. 49).

2. « Optime sirventesios condidit ; sed duas tantum cantiones fecit. Et rex Aragonensis cantiones domini Geraldi Borneliensis sirventesiis Bertrandi junxit » (p. 17).

3. « Et condidit versus tales quales tum condi solebant, id est parvi pretii, de foliis, de floribus, de cantibus, de avibus : nec ejus carmina magni aestimata sunt, nec ipse magni aestimatus est » (p. 10).

in illum honorificentissima quidem sententia dicitur, sed nihil est profecto cur non huic assentiamur :

« E fo meiller trobaire que negus d'aquels qu'eron estat denan ni foron apres lui ; per que fo appellatz maestre dels trobadors et es ancar per totz aquels que ben entendon subtils ditz ni ben pauzatz d'amor e de sen[1]. »

*
* *

Ex allegatis locis constat *Lyricorum Vitas* non tantum ad mores aut vitam poetarum pertinere, sed etiam de horum operibus, fama ingenioque multa testimonia existimatoribus praebere.

Quod si nonnulla horum judiciorum leviora et parum subtilia videntur, meminerimus tamen haec a scriptoribus facta esse, quibus lyricorum opera magis nota erant quam nobis sunt. Itaque, quantulicumque momenti sunt multa, non contemnenda nobis videntur.

Caveamus et ne iis qui *Vitas* scripserunt hoc vitio vertamus, quod non acerrimam judicandi facultatem declaraverint : nam non id sibi potissimum proposue-

1. « Quemlibet vel superiorum vel posteriorum poetarum ingenio superavit : itaque magister lyricorum appellatus est, eumque sic etiamnunc appellant quicumque in subtilibus et recte conditis carminibus, teneros affectus simul et ingenii acumen declarantibus, intellegunt » (p. 14). — Alia judicia haud intempestive afferre possemus, quamdam diligentiam significantia. Sic apte existimantur nec brevioribus verbis : Arnaldus Daniel (p. 13), Hugo Fuscus (p. 35), Guido de Ussello et fratres et patruelis ejus (p. 40), Hugo de Sancto Cyrico (p. 51), Petrus Cardinalis (p. 62), Petrus Vitalis (p. 64), Rambaldus Arausicensis (p. 76), Guillelmus Reginoldus (p. 88), Ferrarius (p. 110).

rant, ut judicum partes agerent. Vel hoc ipso *Lyricorum Vitas* in priore hujus commentationis parte commemoravimus, quod in his multa reperiuntur quae, quanquam non id solum agebant scriptores, multum tamen valent ad Australium poetarum ingenia cognoscenda.

PARS ALTERA

QUID IN TECHNICORUM OPERIBUS AD LITTERAS JUDICANDAS PERTINEAT

In iis operibus quae adhuc commemoravimus testimonia ad artem litterarum aestimandarum pertinentia passim inveniuntur. Etsi horum multa leviora aut parum definita videntur, non est cur haec durius reprehendamus, cum scriptores illi non in existimandi arte proprie versarentur.

Non idem licet dicamus de scriptoribus qui *technici* nominantur : nam hi, cum praeceptorum dandorum causa opera composuerint, earum sententiarum, quas sive de poetis sive de arte tulerunt, quasi rationem debent.

Ex iis operibus quae docendi causa a Provincialibus condita sunt, duo tantum quamdam utilitatem praebere possunt, si quis quatenus illi de litteris existimare valuerint exponere velit[1] : « *las Rasos de Trobar* » et « *las Leys*

1. Etsi *Breviarium Amoris,* quod Manfredus Ermengaldus Bitterrensis anno 1288 scribere instituit, ut omnes bonarum artium disciplinas ad aequalium suorum usum hoc poemate complecteretur, inter ejusdem generis opera est adscribendum, et multa de lyricorum fama testimonia praebet, haec praetermitti posse existimamus. Illam poematis partem respicimus quae versu 27791 incipit ; inscribitur autem « *le perilhos tractat d'amor.* » Qua in parte permultorum veterum lyricorum loci laudantur, quorum placita ideo exponit Ermengaldus quo recta ars amandi, tot et tam gravibus auctoribus adhibitis, illustrior fiat omnibus. Ille autem, dum poetas laudat, quid de his ipse sentiat saepe declarat. At propterea quod Manfredus de moribus potiusquam de litteris

d'Amors. » Quid in his vel de grammatica vel de re metrica dictum sit non nobis inquirendum : ea tantum excerpere in animo habemus quae sunt de arte judicandi.

laborat, saepius ea judicia quae in ejus opere reperiuntur nihil habent quod definitum aut certum sit, raroque inter se differunt.— Manfredi poema ab *Azaïs* editum est : *Le Breviari d'Amor de Matfre Ermengaud,* 2 vol., Paris-Béziers, 1862-66, *par G. Azaïs.*

CAPUT I

DE ARTE EXISTIMANDI IN RAIMUNDI VITALIS OPERE QUOD INSCRIBITUR « *las Rasos de Trobar* »

Raimundus Vitalis, qui fuit eodem tempore quo Petrus II, rex Aragonensis, tertio decimo saeculo ineunte opus scripsit quod est simul de grammatica et de arte poetica, *las Rasos de Trobar*[1], brevissimum quidem opus, sed maximi pretii.

Primum enim magno usui est iis qui quo sermonis genere Provinciales lyrici usi sint perspicere volunt; sed Raimundus Vitalis non id tantum curat ut praecepta det de arte emendate scribendi. Lyricos enim ita commemorat ut hos modo laudet, modo detrectet. Licet de grammatica in primis disserat, latius tamen patent quae dicit.

Ita, dum lyricis, vel praeclarissimis (Bernardo Ventadornensi, Geraldo Borneliensi, Petro Vitali, Folcheto Massiliensi) crimini dat quod saepius dictionis salubritatem neglexerint, quo facilius similiter desinentia verba in extremis versibus collocanda invenirent, jam tum, ut

1. Hic titulus aeque valet ac « *De Arte poetica* » sive « *De ratione versuum condendorum.* »

ab existimatore quodam[1] animadversum est, doctrinam posterius a Bolaeo explanatam adumbrasse videtur :

« La rime est une esclave et ne doit qu'obéir »

Res autem quam hic Raimundus Vitalis attingit non ad Provinciales tantum litteras, sed ad omnem poesim pertinet.

Quosdam etiam poetas de compositione reprehendit, dum omnia inter se apta et connexa esse vult in carminibus et in operibus quoque ad narrandum conditis : quam constantiam in nonnullis desiderat, recte putans multum « seriem juncturamque pollere. »

« Per aqui mezeis deu gardar », ait, « si vol far un « cantar o un romans, qe diga rasons e paraulas conti- « nuadas e proprias et avinentz[2]. »

Namque Bernardum Ventadornensem ipsum vituperat quod in quodam carmine affectus parum inter se congruentes declaraverit :

« Aissi com B. del Ventedorn qe en las primieras qatre « coblas d'aqel sieu chantar... ditz qe tant amava si donz « qe per ren non s'en podia partir ni s'en partiria. » Et « en la quinta cobla el ditz :

« *A las autras sui ueimais escazutz,*
car unam pot, sis vol, a sos ops traire[3]. »

1. F. Guessardus in « *Grammaires Provençales de Hugues Faidit et de Raymon Vidal de Besaudun.* » IIᵉ editio, Paris-Franck, 1858. — pag. LIII.

2. « Qui carmen opusve narrativum condere vult, is operam det huic rei ut sententias et verba inter se cohaerentia dicat et idonea et jucunda. » *Op. laud.*, p. 85.

3. « Isto pacto Bernardus Ventadornensis in quatuor primis « carminis copulis ait *se adeo dominam diligere ut hanc relinquere* « *nullo modo possit,* contra idem in quinta carminis copula : *Jam*

Nimiam hoc loco severitatem in Bernardo Raimundum Vitalem adhibuisse existimat Guessardus : « Hanc Rai-« mundus Vitalis inconstantiam vocat, haud quidem « immerito : sed cui hoc imputandum est ? Poetaene an « amori ? Esto, abrupte ad aliud transitur, hiat commis-« sura : sed de amore agitur, qui ne in carmine quidem « litteratorum in ditione est[1]. »

Nobis vero illa Raimundi sententia haud vana videtur : nonne enim haec demonstrat illum Provincialium lyricorum praecipuum vitium notavisse, id est affectuum simulationem ? Nemo equidem ignorat in animi motibus multas perturbationes fieri solere et ob id ipsum quamdam inconstantiam apud lyricos deprehendi posse ; sed id confiteamur necesse est, Australes poetas in brevioribus carminibus secum pugnantia expressisse et, ut notis Flacci verbis utamur, saepius eisdem versibus et *querimoniam* et *voti sententiam compotem* simul *inclusisse*. Laudandum igitur Raimundum Vitalem existimamus quod sinceritatem Provincialibus lyricis plerumque defuisse animadverterit, nedum illum quod id Bernardo exprobraverit reprehendamus.

Ceterum, existimator ipse, cujus opinionem supra commemoravimus, haec et talia judicia spectans, recte dixit : « Illae animadversiones rectum eruditumque in-« genium declarant et quamdam exquisitam judicandi « facultatem, quam vix tertii decimi saeculi technico « inesse credas[2]. » Etenim, cum de tam brevibus animadversionibus haud longa commentatio fieri possit, ex

« *in ceterarum mulierum ditionem veni ; quarum una, si videtur,* « *me servo uti potest.* » *Op. laud.*, p. 85.

1. *Ibid.*, p. LV.

2. *Ibid.*, p. LI.

his tamen Raimundum Vitalem subtili judicio praeditum fuisse apparet.

Imo videtur ille non tantum ob sententias, sed etiam si quomodo idem has elocutus sit respicias, dignus qui laudetur.

Etenim in primo libro nonnulli de arte poetica loci communes ab eo haud insulse tractantur. Etsi haec ut semet ipsum laudaret dixit, — quod plerique indecore — prudenter ille et aperte simul fecit.

« E sai ben que mant home i blasmeran, o diran :
« aital ren i degra mais metre, qe sol lo quart non sa-
« brian far ni conoisser, si non o trobessen tan ben
« assesmat. Autressi vos dig qe homes prims i aura, de
« cui vos dic, si tot s'estai ben, que i sabrian ben meilho-
« rar o mais metre ; qar greu trobares negun saber tan
« fort ni tan primamenz dig, qe uns hom prims no i
« saubes melhurar, o mais metre[1]. »

Nonne haec Raimundum eum fuisse qui acerrima oratione sententiam suam defenderet demonstrant ?

Idem dici potest de alio loco quo Raimundus quomodo poetae decipi soleant exponit :

« En aquest saber de trobar son enganat li trobador e
« dirai vos com ni per qe. Li auzidor qe ren non inten-
« don, qant auzon un bon chantar, faran semblant qe

1. « Non me fugit fore ut nonnulli hoc (suam ipsius scribendi « rationem significat Raimundus) reprehendant, dicentes : « Hanc « rem quoque ab isto dici oportuit. » Isti vero ne quartam quidem « hujus operis partem facere nec intellegere possent, nisi hoc tam « recte compositum viderent. Item vobis dico tam subtiles viros « exsistere posse ut idem opus, quamvis rectum sit, melius « ampliusve faciant ; nullum enim est opus tam prudens aut tam « subtiliter explicatum quod vir subtilis melius ampliusve facere « non valeat. » *Ibid.*, p. 69.

« fort ben l'entendon e ges no l'entendran, qe cujeran « so qelz en tengues hom per pecs si dizon qe non l'en- « tendesson : et enaisi enganan lor mezeis, qe uns dels « major sens del mont es qui demanda ni vol apenre so « qe non sap, et assatz deu aver major vergoigna cel qi « non sap qe aicel qi demanda. E sil qe entendon, qant « auzion un malvais trobador, per ensegnament li lau- « zaran son chantar ; e si no lo volon lauzar, al menz « volran blasmar ; et aisi son enganat li trobador, e li « auzidor n'an lo blasme[1]. »

Nihil profecto apertius dici potest, ut ostendatur quomodo poetarum judicium nonnunquam ab existimatoribus ipsis corrumpatur. Laudandum praesertim Raimundum existimamus quod *discere* probro nemini esse profiteri non dubitaverit. Nonne enim haec eamdem ingenii sanitatem declarant atque illa Flacci verba quibus hic poetae officium descripsit :

Cur nescire, pudens prave, quam discere malo[2] ?

Haec sunt acuti et perspicacis existimatoris. Ne quis vero Raimundum hanc sententiam temere tulisse credat, pauca etiam afferemus verba quibus ille supra allegata breviter complectitur :

1. « Quod ad poeticam doctrinam attinet poetae decipiuntur, et « quomodo et qua re id fieri soleat vobis dicam. Audientes enim « qui nihil intellegunt, cum recte conditum carmen audiunt, se id « recte intellegere simulant, etsi non intellegunt ; nam se stultos « haberi existimarent si se non intellegere faterentur ; ita semet « ipsos decipiunt ; nam is inter sapientissimos annumerandus est « qui id quod nescit percontatur et discere vult ; istum autem « multo magis pudeat qui nescit quam eum qui percontatur. Illi « vero qui carmina intellegunt, si incallidum poetam audient, « urbanitatis causa, laudes illius carmini tribuent, aut hunc, si « laudare nolent, non reprehendent ; ita poetae decipiuntur : quae « res audientium delicto accidit. » *Ibid.*, p. 70.

2. *Ad Pisones*, v. 88.

« Car una de las majors valors del mont es qui sap lauzar so qe fai a lauzar, e blasmar so que fai a blasmar[1]. »

Haud equidem spernendus scriptor videtur, praesertim si tempora respicias, is qui rem veram tam enucleate elocutus est.

Ex allegatis locis colligi potest Raimundum Vitalem omnibus fere virtutibus ad litteras aestimandas necessariis praeditum fuisse. De grammatica in primis scripsit: sed non dubium est quin idem, si de poesis natura longius disserere tentasset, egregie hoc perfecisset. Haud igitur immerito existimator ille, cujus jam nonnulla verba attulimus, de hoc scriptore dixit : « Ingenii acumen et sanitas rarius in medii aevi operibus apparent, quam ut neglegantur cum in his deprehenduntur[2]. »

Ne multa, in brevissimo opere Raimundus Vitalis magnam doctrinam et acutum ingenium ostendisse videtur.

Ceterum multa testimonia sunt veteres Raimundi Vitalis opus plurimi jam fecisse, cum hoc in Provincia, in Catalonia, in Italia benigne exceptum fuerit.

Namque in *Legibus Amoris*[3] quaedam Raimundi sententiae commemorantur ; in extrema tertii decimi saeculi parte, Gausfredus de Fuxano Catalanus, in opere quod « *Regles de trobar*[4] » inscribitur, in quo desiderantur

1. « Nam ille inter praestantissimos est qui laudare quod est « laudantum et quod reprehendendum est reprehendere potest. » *Ibid.*, p. 70.

2. F. Guessardus, in op. supra laud., p. XLIV. — Rectius dixisset « in operibus quae ad praecipiendum scripta sunt. »

3. De hoc opere in sequenti capite dicemus.

4. Ed. a *P. Meyer* in *Romania* IX, p. 51 et sq. ; cf. *A. Thomas* in *Romania* X, p. 322.

Raimundi Vitalis virtutes, hujus opus imitatus est aut de eisdem rebus fusius disserere instituit ; sub idem fere tempus, Hieronymus Terramagninus Pisanus in « *Doctrina de Cort*[1] » Raimundi Vitalis opus versibus « invita Minerva » mandavit. Denique exstat de arte poetica libellus quidam, qui inscribitur « *Doctrina de compondre dictats*[2], » in quo de sedecim poeticis generibus nonnulla praecipiuntur. Quanquam hunc etiam Raimundum Vitalem scripsisse putant nonnulli existimatores, nihil est cur hanc sententiam sequamur[3]. Certe hoc opus ex Raimundi libro ortum est : idem et de ceteris dici potest.

Sed tantum abest ut ista opera ex Raimundi libro orta huic in aequo poni possint, ut ne ulla quidem judicia ad poetas aut ad artem pertinentia in eis reperias : tantum igitur haec ideo commemoravimus, quia Raimundi Vitalis opus jam tum meritam laudem consecutum esse testantur.

1. Ed. a *P. Meyer* in *Romania*, VIII, p. 181-211.
2. Ed. a *P. Meyer* in *Romania*, VI, pp. 355 et sq.
3. Auctore *Paulo Meyer* hoc dicimus : v. *Romania*, VI, p. 353-5.

CAPUT II

QUOMODO DE LITTERIS IN « *Legibus Amoris* » EXISTIMETUR

Omnia opera quae adhuc commemoravimus ante quartum decimum saeculum scripta sunt. In hoc autem saeculo opus editum est quod eis omnibus quae ad propositum nostrum attinent longe praestat : *Leges Amoris* significamus, quibus facilius quid in arte judicandi efficere valuerint Provinciales perspicias. Est enim ars quaedam poetica, in qua de poesi instituta non solum traduntur sed etiam explanantur ; praeterea in hoc opere nonnulla de Provincialibus litteris judicia fiunt, quae jure recognoscere possumus.

Primum quando et quare illud opus scriptum sit breviter memorabimus.

Postquam Provincialium lyrica poesis, in primis ex bello adversus Albigenses gesto, quod Australibus nobilibus, id est arti quam hi fovebant, perniciei fuit, jamdiu defloruerat, ineunte quarto decimo saeculo nonnulli vernaculae poesis amatores hujus memoriam et honorem renovare tentaverunt. Tum enim — id est anno 1323

— illud collegium dictum « *Sobregaya companhia dels VII trobadors de Tholoza* » condiderunt, quod hoc sibi proposuit ut Australium poesim quasi excitaret, sollemnia inter poetas certamina et honorificos titulos, quibus illorum ingenium aut doctrina declararetur, instituendo.

Mox ei qui cancellarii munere in illo collegio fungebatur, Guillelmo Molinario, id commissum est ut omnia de poesi praecepta in unum cogeret, quo facilior aditus ad artem omnibus pateret. Quo consilio Molinarius opus, quod *Leys d'Amors* sive *Flors del gay saber* inscribitur, anno 1355 scripsit[1]. In hoc autem titulo vox « *amors* » non idem significat ac « *amour* » in Gallico sermone apud recentiores : sed sub hac parum definitus sensus, sicuti saepe fit in medio aevo, subjectus est : hic ad litteras praesertim pertinere et aeque valere ac « *poesis* » videtur.

Illae autem *Leges Amoris* sunt de grammatica, de re metrica, de rhetorica ; sed passim permulta ad artem existimandi spectantia inveniuntur. Hoc opus, non ut praecepta de lingua aut de versificatione data singula persequamur — hoc enim non est propositi nostri — inspicimus, sed ut quatenus existimatoris virtutibus praeditus fuerit Molinarius inquiramus.

1. Duo *Legum Amoris* exemplaria exstant : quatenus haec inter se differant a Camillo *Chabaneau* ostenditur in *Hist. Lang.* X, p. 177 et sq. Unum in codice (B) a *Gatien-Arnoult* edito (Tolosae, 1841-43, 3 vol.) continetur ; alterum (cod. A) adhuc ineditum quasi operis lineamenta praebet. Codicis B textum semper afferemus ex editione *Gatien-Arnoult*.

1. Quatenus veterum lyricorum famae inservire cupiat Guillelmus.

Tolosanum Collegium ad veterum Australium lyricorum laudem renovandam institutum fuisse supra dictum est : huic consilio Guillelmi Molinarii opus respondet. Itaque hic se illis magistris uti profitetur, dum de arte poetica doctrinam exponere tentat : nam ex veterum operibus praecepta, ab his quidem observata, non expresse tamen conscripta, se excerpturum esse dicit.

Molinarium lyricorum opera novisse et valde admirari apparet : illos enim jam in primo libro auctores profert, dum se « leges amoris secundum bonos antiquos lyricos scribere » velle dicit. « Pauzam e prendem lors bonas opinios et aproadas[1]. »

Namque illos sequitur quotiescumque de orationis aut de versificationis ratione praecepta dat, id est tum cum ea quae maximi momenti esse existimat eloquitur.

Sic, ut nonnulla exempla proferamus, versum novem syllabarum, veteribus lyricis auctoribus, rejicit :

« Bordo de nou sillabas no podem trobar am bela cazensa, per que no trobaretz que degus *dels anticz* hajan pauzat aytal bordo[2]. »

Alio etiam loco, quo de quibusdam verbis disserit, eosdem poetas laudat ut rem dijudicet :

1. « Illorum sententias rectas et probatas exponimus et assumimus » (t. I, p. 2).

2. « Nullum novem syllabarum versum invenire possumus qui numerose cadat : quamobrem videre est neminem ex antiquis illo versu usum esse. » (I, p. 112).

« Longz uzatges o requier et enayssi los han pauzatz mant *antic trobador*[1]. »

Denique in quadam operis parte, in qua majorem difficultatem laicis quam clericis casuum rationem habere contendit, illos hortatur ut veteres lyricos ad eam perspiciendam legant :

« Acosselham als laicz et ad aquels que no son gayre enletrat qui volran dictar en romans, liqual no poyran del tot entendre nostras leys, que volontier vuelhan *legir o far legir los bos trobadors*. Et enayssi poyran haver e retener lo bon lengatge e la bela maniera de dictar en romans[2]. »

Sed, quanquam illos admiratur et sibi id in primis proponit ut lectores aptos ad illorum opera recte intellegenda faciat, nonnulla tamen, praesertim de rebus, in his reprehendere non dubitat.

Etenim, cum veterum lyricorum carmina parum cum bonis moribus, — de quibus maxime laborare videtur Molinarius, — congruerent, hic id non vituperare non poterat : sed de hoc longius infra dicemus.

Ceterum alia lyricis objurgat Guillelmus. Horum enim ostentationem, dum permultos locos, quibus se fideliter amorem servare profitentur, respicit, durius vituperat :

« Jactansa es quant hom se meteysh lauza e gaba. E per so han pecat mant trobador quar en lors dictatz dizian

1. « Hoc diuturnus usus postulat et illo modo multi veteres lyrici haec verba usurpaverunt. » (II, p. 402).

2. « Suademus laicis et iis qui, parum litteris eruditi, Romanis tamen litteris nonnihil mandare volent, cum nostras leges plane intellegere non possint, ut bonos (scilicet *veteres)* lyricos libenter legant aut sibi recitari jubeant. Qua ratione emendatum sermonem et quomodo aliquid Romana lingua recte componi possit discent et memoria retinebunt. » (II, p. 154).

que ilh eran li plus fi ayman el plus lial e mays celat e secret que lunh temps fosson estat[1]. »

Deinde, ut solet, diutius in hac re commorando, vim reprehensionis minorem facit :

« Et enayssi trop lauzavan lors meteysshes, quar abastava que aguesson dig que ilh eran dels fis aymans e dels lials entrels autres fis aymans del mon[2]. »

Profecto, cum Guillelmus lyricorum ostentationem reprehendere in animo haberet, rectius itam vaniloquentiam vituperasset, qua illi, quotiescumque de carminibus suis loquuntur, uti solent. Nonne enim istud vitium manifestius est simul et odiosius[3] ?

Verumtamen hic aliquid grave attingit Molinarius : quanquam enim leviore de causa, si ejus verba tantum respicias, veteres lyricos carpere videtur, re haud immerito hoc eis vitio dat, siquidem hi, dum talia profitentur, parum inter se dissimilia carmina condere solent.

Etenim ideo saepe taedium afferunt Australes lyrici quod istius modi sententias iisdem fere verbis sine ulla intermissione enuntiant.

Sed quod Guillelmus bonis moribus repugnare existimat, id nobis praesertim a poesi abhorrere videtur. Nam minime modestia in eo desideratur qui se fidelem in amando semper profitetur ; judicium vero deest omnino ei qui eadem saepius dictitat. Minore igitur ingenii tar-

1. « Gloriosus est qui se ipse laudat jactatque. In hoc autem multi lyrici peccaverunt, quod in carminibus dicebant se fidelissimos, constantissimos, fidissimos, tectissimosque esse omnium amantium qui unquam fuissent. » (III, p. 126).

2. « Isto pacto se ipsi nimis laudabant : nam satis fuerat illos dixisse se inter ceteros fideles amantes fideles et constantes esse. » (III, p. 126).

3. Cf. supra, p. 10, n. 1.

ditate, sed majore severitate Guillelmus in veteribus lyricis ob illud vitium reprehendendis uti decuit. Vitium enim tantum notavit, non consequentia percepit, quamvis manifesta essent. Attamen haud parum est quod ille veterum fautor hos vituperare non dubitavit.

Haec ad omnes lyricos pertinent ; sed et quosdam nominatim reprehendit Molinarius.

Nam poetae cuidam crimini dedit quod affectus inter se contrarios declaravisset : quod crimen jure multis aliis poetis inferre potuisset ; sed de hoc supra diximus, cum de Raimundi Vitalis opere ageretur[1].

Dubitari non potest quin Molinarius Raimundi librum notum habuerit, cum hunc bis commemoraverit : profert enim ea quae Raimundus Vitalis de proprio usu Francorum sermonis et de Lemovicum sermonis usu scripsit, ut hujus opinionem refellat, in secunda *Legum* parte[2].

Nullum alium poetam commemorat Guillelmus praeter Atonem de Montibus ; hujus vero mentio fit persaepe in *Legibus Amoris*, dum exempla ad sermonem pertinentia ab illo mutuatur Molinarius et, sive carpendi sive laudandi causa, illius carmina affert[3]. Nihil mirum quidem si tam multis locis Ato de Montibus a Molinario laudatus est, cum ille Tolosanus esset.

Denique, ut summam faciamus, apparet Guillelmum Molinarium, cum veterum lyricorum laudem renovare tentaret, hos tamen liberius judicavisse quam ut ei nomen existimatoris invidere possimus. Bonum vero

1. V. supra, p. 45.

2. V. II, p. 392, et II, p. 402 : Raimundum nominatim tantum in altero loco appellat Guillelmus.

3. Praesertim in tertia operis parte,

existimatorem illum diceremus, si se non solum liberum sed etiam subtilem in existimando praestitisset.

2. Quomodo poetam informaverit Guillelmus.

a). **Guillelmum in poeta informando non solum de poesi sed etiam de bonis moribus et religione curare.**

Si quis *Leges Amoris* vel strictim attigerit, facile animadvertet Guillelmum Molinarium eum perfectum poetam existimare, qui bonis moribus et religioni serviat : quod oportet memoremus, cum inde fiat ut ille peculiari quadam judicandi ratione utatur.

Ceterum Guillelmus, dum hanc opinionem profitetur, cum eis a quibus Collegium conditum est consentit : quod plane ex ipsis illius Collegii institutis apparet[1].

Etenim jam in prima operis pagina deprehendi potest qua mente scriptor de poesi existimaturus sit. Namque, postquam res necessarias ad quodvis opus perficiendum enumeravit, haec addit :

« E quar aquestas tres cauzas » — significat autem *voler, saber, poder* — « degus no pot aver ses Dieu, quar tug li be veno de Dieu, e ses luy res far nos pot, per so nos lo pregam humilmen ques el nos do secors et ajutori, saber e poder e forsa, pus que la voluntatz es en nos, de far *Leys d'Amors* segon los bos anticz trobadors[2]. »

1. De his v. epistulam a Camillo *Chabaneau* editam, *Hist. Lang.* X, p. 182-83.

2. « Cum illas tres res nemo, deficiente Dei ope, habere possit (nam omnia bona a Deo proficiscuntur neque quidquam sine illius opera fieri potest), eumdem suppliciter precamur ut nobis auxilium et opem det, scientiam, vires, facultatem, quoniam *Leges Amoris* secundum bonos veteres lyricos scribere in animo habemus. » (I, p. 1).

Jam his verbis fore ut Deo adjuvante inceptum opus perficiat se sperare demonstrat.

In eodem libro docet se propter tres causas *Leges Amoris* scripsisse, quarum hanc tertiam esse dicit :

« L'autra razos es per refrenar los avols deziriers els dezonestz movemens dels enamoratz e per essenhar de qual amor devon amar[1]. »

Verum verba sua ad propriam poesis naturam accommodare curat, cum inter causas, quibus ars carminum condendorum inventa sit, hanc ponat :

[Esta sciensa foc atrobada] « ..... per so que per ociozetat en pecat ni en vici hom no caja : quar, segon que ditz Catos, loncz repaus es noyrimens de pecatz[2]. »

Difficile autem erat illam ad bonos mores religionemque accommodatam disciplinam tradere, cum Molinarius id sibi proponeret ut de poeticis generibus quae prasertim amore constarent praecepta daret. Itaque amorem ut quemdam emendatum affectum commendat :

« En la quinta part pauzarem alcunas doctrinas mostran..... qu'es amor, e de qual amor devon amar li aymador, fugen et esquivan tot avol dezirier e amor dezonesta[3]. »

Etenim in quinta operis parte in eadem re commoratur,

1. « [Leges] denique [scripsi] ut pravas cupiditates et inhonestos affectus amantium refrenarem et quo amore sit amandum eos docerem. » (I, p. 4).

2. [Illa doctrina ideo inventa est] « ne quis per desidiam in peccatum vitiumve caderet : nam, ut ait Cato, longa quiete peccatum alitur. » (I, p. 10).

3. « In quinta parte nonnulla praecepta instituemus ut ostendamus quae sit amoris natura, quo amore amantes amare deceat, id est fugientes et vitantes omnem pravam cupiditatem et inhonestum amorem. » (I, p. 6).

dum, postquam amorem ab omni turpi cupiditate vacuum praedicavit, affirmat neminem ex egregiis Australibus poetis unquam in prava libidine fuisse : vult igitur ceteros docere « per qual maniera devon amar et ab [qual] entendemen e de qual amor, e... refrenar los fols aymadors e... ostar lors avols amors e lors avols deziriers els dezonetz movemens. Quar degun temps lunhs bos trobadors que sia estatz lials amayres no s'entendec en avol amor ni en dezonest dezirier[1]. »

Ne autem mirum videatur Guillelmum ita contendisse tantum pudicum amorem Australibus poetis notum fuisse, oportet meminerimus hos amorem originem omnium virtutum habuisse. Igitur, cum amantes amoris ipsius vi meliores fieri antea crederentur, hanc opinionem prae se ferre poterat Molinarius ut illam sententiam de lyricis pronuntiaret. Verumtamen Australes lyricos sensus et carmina ad bonas artes nunquam non accommodavisse confirmare arduum erat. Quis enim lyricos dominas laudibus efferendo tantum virtuti indulsisse merito contenderet ? Attamen hoc demonstrare conatur Molinarius in quadam operis parte, qua non alia forte majoris est momenti, ut quam vehementer ille amatoriam poesim cum bonis moribus jungi cupiat perspiciatur. Etenim, cum cur lyrici in carminibus feminas praedicare soleant quaerit, de hac re ita disserit:

« La cauza per que hom a acostumat cantar de donas si es aquesta : que, si es piucela, o autra que non haja.

1. Docere « qua ratione, quo animo quove amore sit amandum, et..... refrenare eos qui insano amore capiuntur et eosdem pravis amoribus, pravis cupiditatibus, inhonestis animi motibus expedire. Nunquam enim inter bonos lyricos fidus amans exstitit qui se pravo amori inhonestaeve cupiditati dediderit. » (III, p. 360).

marit, que en aquest cas yeu puesca cantar de liey per dir e retrayre la gran amor qu'ieu li port, afi que plus leu s'encline que sia ma molhers ; o per retrayre e per espandir sos bos ayps, sas belas manieras e sas honestas captenensas, per so que alqus autres plus tost la vuelha penre per molher, e que per aquesta maniera la sua bona fama s'espanda entre aquels que no la sabo. Si marida[da] es, puesc ysshamens cantar de liey per lauzar, per dir e per retrayre sas belas captenensas e las suas bonas manieras, e per espandir sa bona fama[1]. »

Nemo non fateatur plurimum abesse ut haec verba in omnia carmina ab Australibus de amore scripta cadere possint.

Ex his tamen quae de pastorali carmine *(pastorela)* dicit Molinarius, suspicamur hunc non fugisse qualis reipsa Australis poesis fuisset : nam quod de hoc poetico genere praescribit vituperatio aeque ac praeceptum existimari potest :

« E deu se hom gardar en aquest dictat majormen, quar en aquest se peca hom mays que en los autres, que hom no diga vils paraulas ni lajas ni procezisca en son dictat a degu vil fag ; quar trufar se pot hom am femna e far esquern la un a l'autre ses dire e ses far viltat o dezonestat[2]. »

1. « Haec causa est cur feminae praedicari soleant : si femina virgo vel innupta est, tum hanc laudare possum ut quanto amore afficiar dicam et expromam, quo facilius illa eo inducatur ut uxor mea fiat ; aut ejus bonas virtutes, urbanitatem, honestos mores exprimere et in vulgus afferre possum, quo libentius alius vir illam uxorem ducat et ut bona ejus fama per illam viam inter eos innotescat quibus ignota sit. Sin autem nupta est, hanc etiam praedicare possum ut honestos ejus mores et urbanitatem dicam et expromam et ut ejus bona fama vulgetur. » (III, p. 124).

2. « Cavendum est praesertim in hujus generis opere (nam in

Siquidem his verbis Molinarius quorumdam poetarum nequitiam detrectare in animo habet, profecto sic de iis qui pastoralia carmina condiderunt haud injuste existimat : nam hoc genus a Provincialibus obscenius tractatum esse confitemur.

Ille autem de bonis moribus, tum etiam cum de singulis agit, laborat. Namque in vitiis ad res attinentibus turpitudinem *(dezonestat)* numerat et, dum in hac re commoratur, quam valde id vitium tolli cupiat significat. Adde quod hic aperte veteres lyricos carpere vult :

« Dezonestatz es cant hom ditz en sos dictatz paraulas dezonestas, lagezas e viltatz, majormen en canso, laquals deu esser de bels motz honestz e politz e ben pauzatz. Aquo meteys cant hom demanda causa dezonesta, non drechuriera e no aproficbabla, o que no es necessaria, coma si hom en sos cantars demanda a sa dona quel done un bayzar o l'autreje autra cauza plus secreta. Et en aisso granre dels anticz trobadors si son peccat ; quar no es cauza honesta, drechuriera, aprofichabla ni necessaria que yeu demande que mi dons de cuy canti me done un bayzar[1]. »

hoc saepius quam in ceteris peccari solet), ne quid vile turpeve dicatur neve quod turpe facinus depingatur ; nam vir et mulier inter se irridere et ludere possunt, nec idcirco hos quidquam vile turpeve facere aut dicere necesse est. » (I, p. 346).

1. « Turpitudo fit cum quis in scriptis inhonestis verbis utitur et rusticitatem obscenitatemque adhibet, praesertim in cantione, quam e pulchris verbis, honestis, urbanis, recte collocatis constare decet. Turpitudo fit etiam cum res inhonesta, illicita, inutilis, haud necessaria petitur ; istud fit, exempli gratia, cum in carmine a domina osculum aut minus etiam vulgandum donum petitur. In hoc autem multi veteres lyrici peccaverunt ; est enim inhonestum, illicitum, inutile, haud necessarium a domina quae praedicatur osculum peti. » (III, p. 122).

Nihil equidem honestius dici potuit : sed quid hoc ad artem ?

Quin, de eadem re nonnulla etiam diligentius scripsit Molinarius : quodam enim loco interdicit ne quis Deum utilitatis suae causa imploret : hanc enim turpitudinem *(dezonestat)* improbat :

« Ysshamens si tu pregavas Dieu o la mayre de Dieu quet dones grans riquezas o quet fes avesque o qualque autre prelat, aytals demanda no seria justa ni necessaria[1]. »

Omnes ergo Guillelmus ad modestiam cohortatur, vivendi praeceptoris potius quam litterarum existimatoris partes agens. Sed quid de tam multis carminibus a veteribus lyricis ad procerum benevolentiam captandam conditis sentiebat, si ne Deum quidem efflagitari patiebatur ?

Cum vero haec nimia severitate praescripta esse videantur, duriora tamen de eisdem rebus in *Legibus Amoris* reperiuntur. Locum quemdam respicimus quo error *(errors)* ut sententiae vitium improbatur : haec Molinarii verba ad religionem, non jam omnino ad litteras pertinere dixeris :

« Errors es us vicis lequals es assatz a totz manifestz e notoris : quar si en alqun dictat era alquna errors que nos pogues sostener segon Dieu ni segon la fe catholica, adonx aytals sentensa es viciosa en tan que no es digna de recitar ni d'esser escricha ; ans la deu hom ardre encontenen[2]. »

1. « Similiter, si Deum aut Dei matrem precareris ut te magnis divitiis donaret, aut ut te vel episcopum vel quovis alio nomine praesulem faceret, ista precatio neque aequa neque necessaria esset. » (III, p. 124).

2. « Error omnibus satis manifestum notumque vitium est. Nam

Non igitur de litteris modo tradit praecepta aut judicia, sed etiam, etsi de litteris ipsis semper disserere sibi proponit, sententias fert de rebus ad hominum vitam pertinentibus.

Ex Molinarii locis jam allegatis facile conjicias hunc poesim ex magna parte gloriae Dei et Beatae Mariae addici velle : itaque, postquam de laudibus, si hominibus dentur, cumulum demi decere dixit, profitetur nunquam fieri posse ut laudes immoderatae existimentur, si Deum Mariamve praedicaveris :

« Quar degus homs, » ait, « no pot cocirar ni pessar ni dir tantas lauzors de Dieu ni de la sua mayre que no sian fort petitas cant a lor e que de mays hom no sia tengutz[1]. »

Ita etiam in praeceptis dandis Beatae Mariae laudem curat, ut ad haec confirmanda permultos versus de ipsa Maria aut de Deo condiderit[2].

Ut rem paucis complectamur, in aperto est Guillelmum Molinarium non solum in *Legibus Amoris* bonos mores simul et poesim spectare, sed etiam artem religioni subjici velle. Cum vero quid de hoc consilio sentiendum sit satis apparere existimemus, liceat nobis id tantum dicere, nihil obstare quin poesis se ipsa contenta sit.

si in opere qui error est quem nec secundum Deum nec secundum catholicam fidem confirmare possis, ista sententia vitiosa est et indigna quae recitetur litterisque mandetur : contra opus protinus est comburendum. » (III, p. 122).

1. « Quamvis magnae laudes de Deo et ejus matre animo concipiantur, cogitentur, dicantur, hae tamen semper illis (scilicet Deo et Mariae) omnino sunt impares et infra debitas laudes. » (III, p. 126).

2. V. I, 30, 32, 40, 46, 52, 54, 106, 108, 112, 114, 116, 118, 124, etc.

b). Quae sit poesis natura secundum Guillelmum.

In Guillelmi *Legibus* paucissima de poetico instinctu inveniuntur, de quo in primis quivis alius existimator curaret. Non est cur hoc miremur, cum scriptor poesim praesertim in verbis et versibus deligendis constare existimet. Quod jam tum cum verbum *trobar* definiendo explicat apparet :

« Trobars es far noel dictat en romans fi, be compassat[1]. »

Etenim si hujus definitionis omnia verba animo circumspicias, haec primum, *noel dictat,* nullius momenti esse dicas ; deinde haec, *romans fi,* scriptori dictionis salubritatem curae esse confirmant, dum haec denique, *be compassat,* quanti sit momenti poetae ad illam disciplinam informato res metrica demonstrant.

Ex iis autem locis qui ad poesis naturam spectant, is est maximi ponderis quo Guillelmus qua ratione poeta opus aggredi debeat exponit : non quod sententia ejus sit probanda, sed quia nusquam clarius scriptor detexit quid in versibus condendis omnibus rebus praeponeret : id caput significamus quod ita inscribitur :

« Mostra per qual maniera pot hom haver entroductio en materia a far vers e chanso et alqus autres dictatz[2]. »

1. « Ille est poeta qui lingua Romana ad novum opus componendum emendate et numerose utitur. » (I, p. 8).

2. « Docetur qua ratione argumenta versuum et cantionum et nonnullorum aliorum poematum inveniri possint. » (III, p. 376). Hic *versus* poeticum genus Provinciali sermone *vers* dictum significat.

Etsi similitudo quae sequitur artificiosa haberi potest, doctrinam scriptoris non mirari non possumus :

« Et en aquesta maniera de dictar deu hom far coma fan li teyssedor, qui primieramen apparelho et ordissho los fils, e pueysh teyssho lo drap. Quar primieramen, si hom vol far una canso o un vers e non ha certa sentensa cossirada et emaginada, hom deu primieramen sercar quatre manieras de rims, si tant es que en cascuna cobla sian VIII bordo, et en aissy segon mays e segon mens, segon lo compas que volra penre le dictadors[1]. »

Imo, ne quid sentiat ignoremus, in hoc explanando commorari non dubitat :

« E aquestas cauzas per miels donar entendre, cove que mostrem per qual maniera deu hom sercar los rims, *et apres* per qual maniera los deu hom aplicar a bona sentensa[2]. »

Nemo unquam profecto « ultima primis praeponenda » magis ingenue professus est. Haec tamen cum doctrina in nono decimo saeculo a notissimo poeta exposita[3] quaedam communia habere videntur. Nam, etsi hic rectius opinionem suam defendit (apud hunc enim est quaedam continuatio seriesque rerum, ut omnes inter

1. « Qui illa componendi ratione uti vult, textorum more agat, qui primum fila parant et ordiuntur, deinde telam texunt. Nam qui cantionem aut versum facere instituet, si nullam certam sententiam meditatus erit nec conceperit, primum quattuor consonantium verborum genera quaeret, ut unaquaeque stropha octo versus habeat ; plura aut minus multa (scilicet : verborum genera) quaeret pro eis numeris quibus uti volet. » (III, p. 376).

2. « Quo facilius haec intellegantur, decet nos quomodo consonantia verba quaerenda sint, *deinde* quomodo haec verba ad convenientem sententiam sint aptanda. » (III, p. 378).

3. V. *Th. de Banville : Petit Traité de Poésie française.* V. in primis cap. III et IV.

se aptae colligataeque sint), utrumque poesis formam externam ante omnia posuisse et similiter desinentium verborum electionem permagni aestimasse liquet. Quodsi illius peritissimi poetae sententia sine ulla exceptione laudari non potest, quid de Guillelmi opinione sentiendum ?

Equidem fieri potest ut illa versificandi ratio probabilis videatur. Nam qui ea poematum genera tractat in quibus versuum struendorum causa multa impedimenta superanda sunt, dum omnem laborem ad verba consonantia eligenda impendit, quia per haec praesertim aures permulcere cupit, is illam componendi rationem jure assumit. Haec enim adhibeatur ad illa poematum genera quae existimator quidam subtilis appellat « nugas implicatas..... in quibus consonantia verba quasi regnare, imperare, *omnia gignere* videntur[1]. » Nonne, exempli causa, quilibet Australis poeta, *sextinam* scripturus, (id est poema ejus generis ut in hoc nihil sit quod non verbis consonantibus subjiciatur), primum ad verba in extremis versibus collocanda animum intendebat ?

Haec a Guillelmo dici oportuit, si modo doctrinam suam probari voluisset. In eo igitur potissimum peccavit quod nullum argumentum ad sententiam confirmandam attulit. Etenim, cum poetam hortatur ut primum verba consonantia, deinde sententiam inveniat, non eum tantum spectat qui aliquod poema ad certas leges, id est certo verborum similiter desinentium ordine servato, vult componere, sed quemlibet poetam, cum verbo *(dictat)* quod omne poeticum opus significare potest utatur.

1. « Bagatelles compliquées..... où la rime est en effet reine maîtresse et génératrice. » *J. Lemaître*, *Les Contemporains*. (I, p. 16).

Attamen veniam quamdam Guillelmo dari decet, quia veteres lyrici, quorum poesim respicit dum ita loquitur (nam rectius hunc illorum artes consignasse quam novas artes in medium attulisse dixeris), istis « implicatis nugis » saepe indulserunt : ergo ea componendi ratione quam commendare conatur Guillelmus et ipsi uti potuerunt. Sed non, quia hoc conceditur, idcirco contendimus omnes Australes lyricos illa ratione contentos fuisse : nisi vero quis praestantissimos ex illis quid dicturi essent nescire solitos esse, antequam verba consonantia invenirent, existimat.

Unum autem ex clarissimis lyricis, Bernardum Ventadornensem, aliam viam in scribendo secutum fuisse constat. Ille enim in prima cujusdam carminis parte de se ipse dixit :

Chantars no pot guaire valer,
si d'ins del cor no mou lo chans,
ni chans no pot del cor mover,
si no i es fin' amors coraus ;
per so es mos chantars cabaus,
qu'en joy d'amor ai et enten
la boca els huels el cor el sen[1].

Quin ob id ipsum Bernardus praeclarus poeta etiam nunc habetur. Nonne autem verisimile est alios veteres poetas exstitisse apud Provinciales qui idem ac ille sentirent ?

Ne plura, Guillelmus, quanquam de quaestione, si *Legum Amoris* doctrinam respicias, gravissima hoc loco

1. « Nullum carmen magni pretii esse potest, nisi imo de pectore manat ; nullum autem de pectore manare potest, nisi fidus amor pectori inest ; meum carmen ideo perfectum est, quod os, oculi, cor, mens amoris gaudio fruuntur idque solum quasi spectant. » (*Chantars no pot guaire valer,* v. 1 et sqq. *M. W.* I, 33).

disserebat, quomodo tamen opinionem suam defendere posset non perspexisse videtur.

Ceterum, quotiescumque quae sit poesis natura vel quo illa tendat exponere conatur Guillelmus, exiguum et quasi incertum ingenium ostendit. Quod ut confirmemus, eum locum afferre nobis liceat, quo scriptor quibus de causis ars condendorum carminum inventa sit inquirit : longior forte haec disputatio videbitur, sed majoris est momenti quam ut praetermittatur :

« Esta sciensa foc atrobada per so que quascus dictatz sia mays agradans e mays plazens per los rims sonans, consonans e leonismes, e cascus miels e plus tot puesca reportar cascun dictat, per so que recitan e legen hom s'en deporte, e bos motz entenda et aprenda, e yssamens per ques hom per bels chans melodiozes e plazens se done en son coratge gaug et alegrier, — (quar per gaug e per alegrier son mant cocirier apremegut, et ysshamens quar hom porta plus leu tot trebalh cant alqunas vetz se dona solas e deport, quar a trebalh no fug ni falh qui pren deport per miels suffrir trebalh) — e per so que per ociozetat en pecat ni en vici hom no caja..... E per so qu'om puesca et auze declarar et expressar son dezirier e sa voluntat, laqual cauza per aventura estiers no poyria o non auzaria ; quar per maniera de dictat son alqunas paraulas grazidas que fora dictat serian desgrazidas. L'autra cauza pot esser per plus breu parlar, quar qui be sap dictar en plus breus motz ditz so que dir vol que per autra maniera. L'autra cauza pot esser quar amb acordansas se transporto miels las paraulas que en autra maniera ; et ysshamens quar miels pot hom conoyssher si l'obra es defectuosa o enneia[1]. »

1. « Ars illa ideo inventa est quo unumquodque poema verbis assonis, consonantibus, *leonino* more collocatis, suavius et gratius

His autem verbis plane apparere existimamus Guillelmum non eum esse qui in re disputanda via et ratione progrediatur. Etenim non causas tantum hoc loco numerat. Ut id pro certo affirmari possit, quare poesis inventa sit, potius quid illa efficere valeat exponit Guillelmus. Recte quidem dicit scriptorem qui verba versu includat maximam in dicendo brevitatem assequi : sed num quo breviore oratione uterentur scriptores poesis potissimum inventa est ? Ait etiam per carmina id melius discerni posse vitiosumne sit opus an perfectum : quid hoc ad poesis originem ? Cum vero contendit poesim inventam esse ut homines quid in animo haberent declarare possent, quo haec spectent non liquere confitemur ; nisi forte de amatoria poesi dicuntur. Fieri enim potuit ut Guillelmus, cum de bonis moribus semper curaret, aperte sententiam suam de illa re declarare noluerit.

Praeterea causas inter se persimiles disjungere vide-

esset, et quo quisque melius et citius quodque poema recitare posset, ut quisque in recitando legendoque se oblectaret, et pulchre dicta audiret ac disceret, praeterea ut per modulata et dulcia carmina quisque alacer atque laetus fieret, — (nam gaudio et laetitia curae saepe levantur, et is quemlibet laborem facilius fert qui se aliquoties jucunditati et gaudio dat, nam is laborem neque fugit neque declinat qui se oblectat quo laborem facilius ferat) — neve quis per desidiam in peccatum aut in vitium incideret, et ut quisque suum studium et voluntatem declarare et exprimere posset auderetque, quod forte alia via facere non posset aut non auderet ; nam carminis specie involuta multa verba placent quae resolutis versibus displicerent. Fortasse et ideo (poesis inventa est) quo brevior oratio fieret, nam qui poesim callet brevius versibus quam ullo alio modo cogitata eloquitur. Fortasse etiam propterea (inventa est poesis) quod concentu verba melius quam ulla alia via (memoriae ?) traduntur — (verbum *se transportar* hic subobscurum nobis videtur) — et quod melius dinosci potest utrum vitiosum sit opus necne. » (I, p. 10). Verbum *enneia* nobis ignotum quidem esse confitemur : sed verba *defectuosa* et *enneia* inter se opposita esse liquet.

tur. Nonne enim iterum eamdem rem eloquitur, cum, postquam dixit poesim ideo inventam esse ut quisque recte et cito opus recitare posset, addit per verborum concentum verba ipsa melius in animo defigi solere ?

Eamdem vituperationem subit ob ea quae ex quodam quintae partis loco jam excerpemus. Exponit autem cur sint qui summa difficultate scribant et quomodo huic rei occurri possit. Primum enim nonnullos homines poesis taedio capi, quod natura tardiores et duriores ad studia sint, affirmat :

« Alqun home son enayssi durs que a penas podon far acordar us mot ab autre ; e pueys per la gran flaqueza que han ad aysso far, il remano coma quaysh dezesperat d'aysso far ; e pueysh d'aquesta dezesperansa naysh mespretz ; si que aquest saber han en mespretz e lor desplatz, quar vezon que il no podon atenher ad aquest saber[1]. »

Sed, ut ait, iidem poesi delectarentur si paulo magis laborare vellent. Nam persuasum habet omnes eos poetas evadere posse qui verba inter se concinentia reperiant : nihil autem nisi verba similiter desinentia *(les rimes)* eo loco significat. Deinde haec addit :

« Quar non es degus homs, per cant que sia durs e rudes, que, si vol un petit cossirar e trebalhar en far acordansas de motz e de paraulas, que non ho puesca

1. « Nonnulli tam tardo ingenio sunt ut vix verbum verbo congruenter copulare possint ; deinde ob magnam in hoc faciendo tarditatem, quasi operis perficiendi spem abjiciunt, deinde ex ista animi demissione contemptus exsistit, ut illam artem despiciant et oderint, cum se ad eamdem pervenire non posse intellegant. » (III, p. 360).

far : quar unas meteysshas paraulas pot hom motas vetz acordar en diversas rimas[1]. »

Cum expeditiorem rationem praedicare Guillelmum manifestum sit, hanc reprehendere parum utile ducimus : nunquam vero ita de hac re disseruisset Tolosanus technicus nisi poesim in arte versuum struendorum totam poneret.

Ut paucis complectamur, omnia quae in *Legibus Amoris* de poesis natura dicuntur minoris sunt momenti. Nam a quasi manca versificandi ratione oriuntur, cum omnes tum in poesi callidam verborum versuumque dispositionem tantum aestimarent. Qui poesim in hunc modum sibi fingunt, illam in artificii cujusdam angustias deducunt ; poetae haberi possunt, sed poetae minores : hi quidem in pretio sunt dummodo in arte sua excellant : sed istis nemo non illos anteponit qui, etsi versuum structuram non neglegunt, id tamen ante omnia spectant, ut honestas sententias expromant et aptas imagines inveniant.

Nonnulla tamen ex his quae in *Legibus Amoris* ad poesis rationem pertinent probanda videntur. Quae, etsi non artis vim potissimum, sed potius nonnullorum poetarum munus spectant, jam nunc afferemus, quia quamdam progressionem ad humaniorem poesim tum factam esse declarant.

Ejusmodi sunt ea quae Guillelmus de satira praecipit, dum hoc genus latius patere et majore urbanitate tractari optat :

1. « Nemo est enim, quamvis tardus et rudis sit, qui, dummodo parumper artem copulandi verba et voces meditari et in hac elaborare velit, hoc efficere non valeat : nam eadem verba non semel in extrema versuum parte copulari possunt. » (III, p. 362).

« Maldigz especials es cant hom en sirventes o en autre dictat ditz mal d'alquna certa persona ; quar hom en sos dictatz no deu especificar lunha persona ni deu dir paraulas tals per qu'om certa persona entenda can en son dictat pauza alqun maldig. No dizem ges qu'om no puesca retrayre alqun maldig d'alqunas personas en general, — mas que certa persona no sia nomnada ni dezignada, — coma de renoyers, de mercadiers, de borguezes, de comtes, de vescomtes, de reys, de princeps, de jutges, d'avocatz, et enaissy de trops autres. Et en aquest cas degus no se deu mal tener si hom pauza alqun maldig en son dictat del uffici don aquel es, quar aytals maldigz ha hom acostumatz de dire per castier e no per eveia ni per detractio ni per far ni dir enjuria ad home[1]. »

Nihil equidem rectius dici potuit : imo, si veteres Provinciales lyrici illo modo hoc genus concepissent, profecto horum serventesii majori delectationi nunc essent legentibus. Nam ex eo quod privatos vehementius carpere solent, non solum fit ut sirventesii difficiliores nobis sint ad intellegendum, sed etiam ut his multo minor insit auctoritas[2].

1. « Privatum maledictum est aliquem sive in sirventesio sive in alius generis carmine carpi ; nam cavendum est ne quis in carminibus quemquam designet neve iis verbis utatur quae ad aliquem pertinere videantur, quotiescumque in suo carmine maledice loquitur. Non id vetamus quaedam hominum genera gregatim carpi, sed aliquem nominatim designari : ita fœneratores, mercatores, urbanos, comites, vicecomites, reges, principes, judices, causidicos multosque alios (generatim carpi licet) ; tum nemini moleste ferendum est artem suam in carmine carpi, nam hujusmodi reprehensione scriptores uti solent castigandi (scilicet : vitia) causa, non invidia aut detrectandi studio, nec ad quemquam re aut verbis contumeliose laedendum. » (III, p. 124 et 126).

2. Quod de duobus sirventesiis quorum supra mentio facta est jure dixeris. Nam quamvis a Petro Arverno et a Monacho de Mon-

Probandum est etiam quod de immoderatis laudibus *(sobre-laus)* dicit Guillelmus[1] : has enim jure vituperat. Nam, etsi nonnulla leviora addit, reprehensionis hujus facilis est defensio, dummodo quid veteres lyrici eloqui soleant respicias.

Guillelmum igitur interdum in poeta informando quoddam judicium ostendisse constat, cum, quanquam veterum lyricorum placita sequebatur, haec tamen meliora fieri posse arbitratus sit.

c). **Qua mente Guillelmus de oratione et versibus praecepta tradiderit.**

Ex his quae de Guillelmi poetica doctrina diximus facile intellegi potest cur innumerabilia de elocutione et de arte versuum struendorum praecepta in *Legibus* inveniantur. Haec quidem nobis non percensenda sunt : hoc tantum propositum est, quod judicium quamve rationem in his praeceptis dandis scriptor ostenderit inquirere.

Oportet memoremus in primis nullam de verbis aut de re metrica quaestionem a Guillelmo esse praetermissam ; quin etiam de omni re semper fere longius disserit : pereruditum igitur illum fuisse, et *Leges* semper maximo auxilio ad veteres lyricos legendos et pernoscendos existimatoribus futuras esse confitendum. Sed ad reliqua pergamus.

Saepe fit ut, dum aliquid de oratione aut de versificatione praescribit, Guillelmus exquisitius judicium osten-

talduno praeclari poetae facete derideantur, nimis tamen multa de horum moribus dicuntur. V. supra, p. 10, n. 2.

1. « Longissime de hoc disseruit Guillelmus. V. III, p. 126, 128, 130.

dat : e multis animadversionibus colligi potest hunc de vi cujusque poetici generis propria meditatum esse.

Etenim multus est in vitio notando quod semper fere in medii aevi litteris reprehendas : orationis redundantiam dicimus[1]. Eo magis ob hoc Guillelmum laudari decet, quod raro illorum temporum scriptores hanc rem curaverunt. Sed utinam Guillelmus ipse de hoc vitio minus verbosus fuisset ! Hunc enim meliora vidisse, sed deteriora secutum recte dixeris.

De contrario vitio, id est de nimia brevitate *(breveza)* haud minus sapienter locutus est : nam, postquam hoc reprehendendum dixit si obscuritatem attulerit, verborum detractionem addit tolerari posse si de re notissima quaestio sit[2].

Alia autem de oratione et versibus convenienter praescripta excerpi possunt. Quanquam enim poetam diligentissime disciplinae obtemperare vult, hunc in legum angustias non semper compellit. Sic, de inanibus verbis (gallice *chevilles)* multa dixit : verbo *anar*, nisi mens hoc requirat, scriptorem uti vetat[3] : quae animadversio in permultos lyricos cadit. Sed eodem loco haud inconsulto addit Guillelmus longa poemata, cum ad minus certam rationem componantur, majore licentia in verbis struendis frui posse : etsi hac potestate immoderatius uti poetam non decet, judicium existimatoris animadversio illa indicat.

Idem judicium in nonnullis praeceptis quae sunt de versibus struendis ostenditur. Ita, cum verborum con-

1. De hoc v. III, p. 132-136 : *De Verbozitat.*
2. V. III, p. 138.
3. V. III, p. 392.

cursum hiantem reprehendat, poetae tamen hanc veniam dat ut quibusdam verbis usitatis ac tritis *(qui, si, ni* etc.) utatur, etiam si hiulcae voces efficiantur, dum sequens vocalis eadem ne sit[1]. Eamdem veniam poetis dare recentiores technici, cum nimia severitate uterentur, diu dubitaverunt.

Recte etiam Guillelmus duriorem legem, quae eamdem consonantem in extrema parte vocis et in prima sequentis vocis parte poni vetat, mitigat :

« Et aysso dizem per que trop no estrengam esta sciensa e per so que per gran estreysshedat del saber hom non laysshe gran re de bos motz... *Quar mays amam que un pauc sia aspra la votz que si s'en perdia bona sentensa.* Enpero qui tot o pot gardar, plus neta es l'obra[2]. »

Nusquam profecto sapientiorem se praebuit Guillelmus.

Haec subtile judicium declarant multaque leviora compensant : nam id quod mens requirit cum artis poeticae legibus hic optime conjungitur.

Igitur si de elocutione aut de versificatione animadversiones spectabimus, Guillelmum non tantum eruditissimum poesis disciplina fuisse, sed etiam quatenus praecepta servanda essent sapientius definivisse existimabimus.

1. V. I, p. 24.

2. « Illud dicimus ne haec doctrina nimis artis finibus quasi circumdetur, neve ob ejusdem artis angustias (scilicet : ob nimiam praeceptorum severitatem) multa bene dicta pereant... *Nam malumus sonum subdurum esse quam bonam sententiam perire.* Attamen qui utrumque servare potest, is nitidius opus facit. » (I, p. 28). Eodem loco omnia illius modi peccata excusationem habere dicit, dum ad orationis leporem servandum admittantur. Nam, ut ait, « *fructus cortici anteponendus est.* » « Quar may deu hom voler lo frug que l'escorsa. » I, p. 30.

3. Qua exponendi ratione Guillelmus ipse in « *Legibus Amoris* » usus sit.

Cum longius sit opus Guillelmi Molinarii, ars rerum exponendarum in hoc aestimanda videtur ; sed id breviter faciemus : nam quid in Guillelmi compositione et oratione reprehendi possit manifestum est.

Vitia enim et in compositione et in oratione notanda sunt.

Ut tantum de praecipuis loquamur, id praesertim taedio est legentibus, Guillelmum partitionibus nimis indulgere. Etsi enim res omnes in plurimas partes dividendo illas clarius explicari putat, easdem re persaepe implicare videtur, dum id tantum efficit ut animos distrahat minutius sententiam quasi concidendo. De hoc plura dicenda non existimamus, quia jam ex nonnullis locis supra allegatis res intellegi potuit[1].

Nil mirum profecto si, cum ista exponendi ratione utatur, nonnunquam res inutiles affert. Sic nullius est momenti varios sensus verbi *regir* referre, cum ad rem tantum una significatio pertineat[2].

Qua de causa fit saepe ut res jam allatae iterum a Guillelmo dicantur : ita eadem in principio quintae operis partis et in principio primae partis reperiuntur[3].

Si orationem spectabimus, primum istam redundan-

1. Exemplo sit caput in quo Molinarius quibus de causis poesis inventa sit exponit ; cf. supra, p. 67.

2. V. II, p. 6 et 8.

3. Cf. I, p. 2, et III, p. 360.

tiam reprehendemus cui saepius scriptor indulget, cum ipse hoc vitium aliis exprobraverit[1]. Adde quod idem vitium in Guillelmi opere clarius et molestius est, quia, postquam hic praecepta soluta oratione dedit, minus bonos versus de eisdem rebus condere solet[2].

In hoc etiam peccare videtur Guillelmus quod similitudinibus et verbis translatis ad res exponendas nimis delectatur.

Ista quidem dicendi ratione utitur ut taedium in docendo fugiat : quod ex hoc loco apparebit :

« Alcunas d'aquestas partz d'oratio han maniera d'emperador o de gran princep que vol comandar e regir e no vol esser per sobira mandatz ni regitz. E d'aquesta natura es le *verbs* qui vol regir e no vol esser regitz. Alcunas autras partz trobaretz quez han maniera de savi home qui vol regir et esser regitz e governatz ; et d'aquesta natura son li *nom* el *particip.*[3] »

Sed in verbis transferendis illum diutius commorari manifestum est : imagines enim explicare ita studet ut non solum oratio lumen rebus non adhibeat, sed etiam hae fiant saepe difficiliores ad intellegendum. Attamen eadem exponendi ratione scriptor uti potest, dummodo judicium in hac re ostendat. Nonne, ut exemplum afferamus, Horatius, cum Pisonibus de senario praecepta

1. Cf. supra, p. 73.

2. Nil igitur mirum si Guillelmus ipse *Leges Amoris* in breve coegit. De hac epitome v. *Chabaneau* in *Hist. Lang.* X, 179.

3. Nonnullae ex illis orationis particulis imperatorum vel magnorum principum more se gerunt, qui imperare et regere volunt, sed omne imperium vel oboedientiam abjiciunt ; similis est *verbi* ratio, quod regere, non regi vult. Nonnullas alias particulas reperire est, quae sapientium more se gerunt, qui et regere et regi gubernarique volunt : haec est ratio *nominum* et *participiorum*. » (II, p. 6).

poneret, hoc effecit ut haec expedita simul et exacta oratione daret, translationis velut primis lineis tantum designatis ?

Quantum autem Guillelmus in similitudine explicanda delectetur ex eo loco judicari potest quo juvenes ad poesim colendam cohortatur[1]. Hoc enim loco, postquam artem versuum condendorum cum fonte ineptius comparavit, omnia deinde quae ad poesim pertinent per verborum translationes cum illa congruentes exprimit, et quasi membratim similitudinem explanare tentat.

Nihil vero quam ridicula et vitiosa sit ista scriptoris ratio melius ostendere potest quam ea pars operis in qua ad orationis vitia et figuras ordinanda et definienda translatis verbis utitur : forte de istis non durius existimabimus, si haec tantum mnemonica habebimus. Sed non in hoc nos commorari decet, nam sequentes tituli quantam futilitatem hic scriptor ostendat satis indicant :

De las XIIII filhas que Barbarismes hac de sa molher na Metaplasmus[2].

De las XXII filhas que Soloecismes hac de sa molher na Scema[3].

Sed de istis hactenus.

E supra dictis colligi potest perspicuitatem et tenuitatem dicendi in *Legibus Amoris* praesertim desiderari.

1. V. I, p. 4.

2. « De quattuordecim filiabus quas Barbarismus ex uxore *domina Metaplasmo* habuit. » (III, p. 140). — Verba inepte consociata ineptis verbis non exprimi non possunt.

3. « De viginti duabus filiabus quas Soloecismus ex uxore domina Figura habuit. » (III, p. 148).

***

Verumtamen, etsi multa in illo opere reprehendenda videntur, nemo non fateatur necesse est idem magni pretii esse.

Non equidem contendimus *Leges Amoris* ingenium cui nihil desit ad litteras recte aestimandas indicare : a viro eruditissimo et omnium rerum ad artem verborum et versuum componendorum pertinentium perito scripta sunt : sed idem plerumque ea quae de poesi majores tradiderant fidelius servavit, etsi, cum bonis moribus et religioni inservire cuperet, quamdam moderationem in veteribus lyricis laudandis adhibuit.

Sed de nonnullis rebus sapienter simul et libere judicavit. Provincialium enim lyricorum quaedam vitia, cum quid ex his manaret non satis semper discreverit, notare tamen non dubitavit.

Tum vero cum de poesis vi ratione disserit, videre est, si res in universum respicias, Guillelmum veterum poetarum placita sumpsisse et leges suas plerumque ex illorum exemplis quasi expressisse.

Quod cum ita sit — Guillelmum autem ipsum id professum esse supra dictum est[1] — haud magna rerum novitas in hoc opere est requirenda. Satis sit existimantibus Molinarium, quamvis libenter non rebus, sed verbis et versibus, veterum exempla secutus, priores partes tribuerit, hanc doctrinam meliorem fieri posse interdum dixisse.

1. V. p. 52.

Illum quidem in poeta informando nonnunquam incertum habuisse quidnam praeciperet confitemur. Id certe affirmari potest, Guillelmum optime de Provincialium litterarum amatoribus meritum esse, cum nemo, nisi ille *Leges* scripsisset, de veterum lyricorum arte plane judicare posset.

Adde quod in *Legibus* maximum et sincerum in litteras studium apparet, ita ut poesim religiosissime venerari scriptor videatur. Hoc jam in cohortatione juvenum a Guillelmo facta animadvertitur : illa quidem verba digna sunt quae laudentur :

« Aquesta gaya sciensa de trobar lunh temps nos met nis pauza en coratge d'ome dur, rude, avar, enic, ni fals [1]. »

Nonne quamdam animi elationem illa de poesis vi doctrina declarat ?

Cum his congruunt ii loci quibus scriptor sermonis integritatis patrocinium arripit. Sic tenorem aequalibus suis parum notum esse queritur et clericos acriter reprehendit quod verba pessime pronuntiare soleant [2]. Eadem mente et quaedam cantica a nonnullis incallide cani queritur [3].

Quae omnia saltem poesis ardentia studia declarant. Praetera quod Guillelmus laborem plurimum posse existimat, id et ei laudi dari debet. Extremam operis partem praesertim hic respicimus [4]. Utitur enim brevi quadam sententia *(mays dura anta que sofracha)* [5] ut

1. « Ars illa festiva versificandi nunquam considit nec in animo hominis duri, rustici, tenacis, iniqui, versuti consistit. » (I, p. 4).

2. V. I, p. 68.

3. V. I, p. 342 et 348.

4. V. III, p. 362-76.

5. « Turpitudo diutius quam dolor durat. »

doceat quomodo poeta, si diligens sit, hanc in duos bonos versus conversurus sit : verba igitur sexcentis modis vicissim contexit, etiam atque etiam assensionem differens ; tandem versus ex sententia cadere, id est dilucidos et novos esse, fatetur. Multa quidem puerilia in hac parte duci possunt : sed nonne id exemplo utile est, scriptorem poetas his verbis ad diligentiam cohortari ?

« Hom que dicta deu tantas vetz trasmudar las dictios et una metre per autra, e virar so denan detras, e pel contrari, e sercar tantas rimas, entro que vengua en aquel cas en loqual li sara vejayres que miels es dig e miels pauzat[1]. »

Frustra vero conabatur Guillelmus Australium poesim renovare : haec enim jam extincta erat. At *Leges Amoris* diu in Catalonia plurimum valuerunt et quasi magistrae permultis poetis et technicis fuerunt : de quibus nihil dicemus, cum nobis tantum opera a Provincialibus scripta percensere propositum sit[2].

1. « Qui carmen condit etiam atque etiam verba loco moveat, aliud pro alio subjiciat, horum ordinem invertat, verba consonantia inquirat, dum eo perveniat ut quam optime se elocutum esse et verba ordinasse putet. » (III, p. 376).

2. De scriptoribus illis v. *C. Chabaneau* in *Hist. Lang.* X, 179-180. — De rebus e *Legibus Amoris* a Gratiano de Ponte sumptis ad artem poeticam componendam *(Art et science de retorique metriffiée,* 1539), v. *E. Langlois : De Artibus rhetoricae rhythmicae sive de artibus poeticis in Francia ante litterarum renovationem editis,* pp. 90, 95.

CONCLUSIO

Ex locis in hac commentatione allegatis apparet nullum opus litterarum aestimandarum causa a Provincialibus conditum exstare, quod non ad poesim, praesertim ad lyricum genus pertineat.

Hoc non miramur, cum, si poesim praetermittas, paucissima opera reperias quae aestimatione digna videantur. Meminerimus tamen fere omnes Provinciales scriptores lyricam quidem poesim tractavisse, sed eosdem lyricae poesis nomine permulta poematum genera amplexos esse. Itaque, cum de lyricis tantum poetis existimatio fiat apud Provinciales, permulta tamen opera ab existimatoribus illustrantur. Nemo autem de Australibus poetis perfectum judicium faciet, si quid illi de semet ipsis dixerint omnino neglexerit : nam Australium poesi insignia quaedam insunt quae vix, sublatis Provincialium ipsorum testimoniis, comprehendas. Nonne etiam Septentrionales lyrici per eadem fiunt illustriores, si quidem hi a Provincialibus permulta mutuati sunt ? Haec igitur testimonia inquiri et percenseri operae pretium esse duximus.

Praeterea nullum opus a Provincialibus scriptum esse

quod peculiariter sit de litteris judicandis videmus ; ne technici quidem artem existimandi propter se coluerunt. Quid hoc, si, cum aliud agere in animo haberent, rectas sententias tulerunt et probabilem disciplinam professi sunt ? Esto : rarius ob ingenii acumen laudandi nobis visi sunt ; sed nonnulli haud disserendi imperitos se praebuerunt, praesertim si tempora respicias : nam in tertii decimi et quarti decimi saeculi scriptoribus certam et quasi maturam existimandi facultatem desiderari injuriosum est.

Nonne vero inter lyricos Geraldus Borneliensis in ipsis carminibus nonnunquam de poesis vi sapienter et lucide disseruit ? Indicio sunt illius carmina Provinciales jam tum eos evasisse qui distincte quid ars valeret et quo haec tendere posset intellegerent.

Raimundus Vitalis et liberius et rectius de scriptoribus existimasset, si ad hanc operam totum se contulisset : nunc, cum quasi praeteriens id tentaverit, quibus existimatoris propriis virtutibus ipse praeditus esset nobis tantum conjecturae faciendae copiam fecit.

Denique per *Leges Amoris* quid novissime in arte existimandi effecerint Australes dijudicari potest : *Leges* enim quasi Provincialium litterarum testamentum esse dixeris.

Multa quidem in Guillelmi Molinarii opere parvi pretii esse confessi sumus. Sed si expeditiorem in oratione se praebuisset, pluris profecto diligentiam ejus et doctrinam faceremus.

Ceterum, si *Leges Amoris* cum operibus, quae de eisdem rebus a Septentrionalibus ante litterarum renovationem edita sunt, conferuntur, his illas longe praestare affirmari potest. Etenim in *Legibus Amoris* nonnunquam, in

illorum scriptorum operibus nunquam *judicium*, id est praecipuam existimatoris virtutem, apparere videmus.

Provinciales igitur non solum dulcia poemata condere valuerunt, sed etiam nil dubium est quin apud hos subtiles existimatores exstitissent si Australium litterae quasi longiorem cursum tenuissent.

INDEX RERUM

Pages.

PROŒMIUM 3

PARS PRIOR

DE EIS OPERIBUS IN QUIBUS, ETSI NON PRAECIPIENDI AUT EXISTIMANDI CAUSA SCRIPTA SUNT, PASSIM TAMEN DE LITTERIS JUDICIA REPERIUNTUR 7

CAPUT I

QUID APUD LYRICOS POETAS AD LITTERAS JUDICANDAS PERTINEAT: DE EO POETICO GENERE QUOD « *Trobar Clus* » DICITUR . . 9

1. Quid de obscuro genere ex lyricorum operibus comperti habeamus 11
2. Quibus de causis haec de poesi praecipere potuerint Provinciales 25
3. Cujus momenti sit illa de obscura poesi disputatio. . . . 27

CAPUT II

QUOMODO DE AUSTRALIBUS POETIS IN « *Lyricorum Vitis* » EXISTIMETUR 31

PARS ALTERA

QUID IN TECHNICORUM OPERIBUS AD LITTERAS JUDICANDAS PERTINEAT. 39

CAPUT I

DE ARTE EXISTIMANDI IN RAIMUNDI VITALIS OPERE QUOD INSCRIBITUR « *las Rasos de Trobar* » 43

CAPUT II

QUOMODO DE LITTERIS IN « *Legibus Amoris* » EXISTIMETUR . 50
1. Quatenus veterum lyricorum famae inservire cupiat Guillelmus 52
2. Quomodo poetam informarit Guillelmus 56
a). Guillelmum in poeta informando non solum de poesi sed etiam de bonis moribus et religione curare 56
b). Quae sit poesis natura secundum Guillelmum 63
c). Qua mente Guillelmus de oratione et versibus praecepta tradiderit. 72
3. Qua exponendi ratione Guillelmus ipse in « *Legibus Amoris* » usus sit. 75
CONCLUSIO 81

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. Kal. Feb. XVII MDCCCCII
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus
A. CROISET.

Typis mandetur
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

FUXI. — EXCUDEBAT L. GADRAT.

ERRATA

Pag. 13, l. 2 : l. *obscurum* pro *obscuram*.
Pag. 54, l. 9 : l. *istam* pro *itam*.
Pag. 57, l. 16 : l. *praesertim* pro *prasertim*.